Francisco Millan
de la Quemada

Francisco Millan
de la Mancano

COMMENTARIVS

IN LIBROS DE PRIORI RESOLVtione Aristotelis authore Gasparo Cardillo Villalpandeo Segobiensi, Doctore Theologo, Eloquentiæ & Philosophiæ olim Compluti professore, & collega in contubernio diuo Illephonso nuncupato.

(†)

Ad episcopum Legionensem.

Iesus est spes mea.
Si quid mirabere, pones inuitus,
Reddituro, satis.

¶ Secunda editio, in qua multa addita sunt, restituta in melius multa, vt intuenti planè constare possit.

(†)

¶ Cum probatione supremi Philippi regis nostri senatus.

COMPLVTI,
Ex typographia Sebastiani Martinez.
1562.

ratione fallas, neue culpa tua sapientibus atq; eximia virtute præditis hominibus viam ad similem dignitatem præcludas: istos ergo commentarios (quos inchoatos tantum emittimus, vt quam ocissimè posimus opem auditoribus Dialecticę feremus, & quid in cæteris nostra diligentia possit efficere ex te intelligamus) hilari animo suscipe, atque illos episcopi dignitate & tui nominis amplitudine ita defende, ne paucorum hominum male de optimis studijs sentientium culpa præclara hæc Academia illis instrumentis atque præsidijs destituatur, quæ sunt quidem necessaria ad instituenda recta studia, & bonas literas capessendas. Vale ex collegio & bibliotheca nostra 20. calendas Augusti.

†

Commentarij in libros Aristotelis de priori resolutione.

MT planior sit interpretatio horum librorum, atque etiam expeditior, operæpretium erit, anteaquam enarrare eosdem incipiamus, nostro more quædam præfari quæ aditum patefaciant ad ea intelligenda, quæ in his libris continentur: hæc nos præambula nominamus: illa autem sunt sententia Aristotelis in his libris, deinde inscriptio, tertiò vtilitas librorum, postremo ordo.

Primùm quidem pro comperto habendum est, autorem horũ librorum non fuisse alium, quam Aristotelem: hoc in primis omnium antiquorum interpretum opinione constat: deinde, quia nihil est ab Aristotele scriptum, quod vsqueadeò eius ingenij magnitudinem referat, concissam breuitatem ostendat tanto philosopho familiarem, & methodo, hoc est via & ratione, magis constet: & quidem tametsi multi olim libri resolutorij reperti sint, hi quatuor quos interpretari cupimus, reiectis cæteris tanquam nothis atque adulterinis, Aristotelis concessi sunt. Si quærat ergo aliquis, quæ sit in his libris sententia Aristotelis, hoc est, quis finis illi sit propositus in his libris, & qua de re agere instituat, facilè satisfaciemus quæstioni, si illud admonuerimus prius, duo volumina de priori resolutione atque etiam duo alia de posteriori vnum corpus efficere, quod resolutorium opus vocatur: hoc apertè conuincitur Aristotelis verbis, facit enim mentionem vtriusq; partis tanquã vnius initio horum librorum, & præterea ad calcem librorum de posteriori resolutione, cum inquit.

† De syllogismo igitur & de demõstratione, quidq; vnumquodque est, & quomodo fit, manifestum est.

¶ Quamobrem, cùm vnum tantùm opus conficiatur ex libris de priori & posteriori resolutione, vna Aristotelis in vniuerso isto opere intẽtio est atque propositum, quò cætera referantur: est autem propositum agere de demonstratione, & docere, qua ratione illa conficienda sit a nobis. Sed quoniam duabus partibus constat istud propositum, vnum est materia ex qua conficitur demonstratio, aliud verò forma, hoc est ipse syllogismus: in libris de priori

resolutione Aristoteles disserit de forma demonstrationis, in libris de posteriori resolutione de materia eiusdem: hinc colligitur subiectum librorum de priori resolutione esse syllogismum, quoniam in his libris docemur syllogismum efficere, & passiones syllogismi explicatur: hoc significat Aristoteles capite quarto, cùm inquit Priùs enim de syllogismo dicendum, quam de demonstratione.

Sed obijciet aliquis, quo pacto subiectum librorum de priori resolutione est syllogismus, & propositum Aristote. in his libris est syllogismi naturam atque eius affectiones explicare, si verum est quod idem scribit Arist. initio horum librorum, propositum esse agere de demonstratione & de disciplina demonstratiua?

Deinde, quo pacto dicat isto loco primùm agendum esse de demostratione, si verùm est quod capite quarto testatur, priùs de syllogismo disserendum esse, quam de demonstratione? non ne ista magnopere inter se pugnant?

Dicendum tamen est, quòd Aristot. in ipso statim principio horum librorum explicat propositum vniuersi operis, & quasi finem in quem omnia referuntur: sed quoniam quod est primum cōtemplantibus est postremum agentibus, postremo loco de demonstratione disputat: quod ergo ait Aristoteles initio, primùm dicendū est circa quid sit intentio, quoniam circa demonstrationem, ad cōtemplationem pertinet: at verò quod capite quarto dicit, priorem esse syllogismum demonstratione, ad actionem est referendum: quamobrem nulla repugnantia est in sententia aut verbis Aristotelis.

Secundo loco constituendum est, quæ sit istorum librorum inscriptio aut titulus, inscriptio enim, ad rem de qua agitur intelligendam, multum conducit. Inscribuntur ergo hi libri priora analytica, aut de priori resolutione, nam analysin, est idem quod resolue re, qui titulus duabus sanè partibus constat, appellantur enim de resolutione, at non de quauis, sed de priori: quare vtriusque partis ratio reddenda nobis est incipientibus à priori parte, hanc vt explicemus, dicendum est priùs, quid sit resolutio.

Resolutio (vt Aristo. inquit lib. 3. de Cœlo) est progressus à re composita ad principia, ex quibus primùm constituta res est. Hæc descriptio accommodari aptè potest omni generi resolutionis, nā Grammatica, Physica, & Geometrica resolutio est. Physica est, qua corpora naturalia in quatuor redeunt elementa, atque etiam in ipso-

in ipsorum elementorum materiam atque formam, quæ prima sunt.

Grammatica, cùm oratio diducitur in prima elementa.

Geometrica verò, aut logica de qua in præsentia loquimur resolutio est, vt Themistius scribit, cùm vera conclusione posita, propositiones, ex quibus confecta sit, exquirimus: analyticus enim eò vsque retexit compositum quo ad inueniat ea protáleis, hoc est propositiones quibus conclusio confecta est.

Resolutioni opponitur compositio, quæ exordiens à primis rei principijs, desinit in quæstionem.

Isti ergo libri, resolutorij, aut de resolutione inscribuntur, quoniam in illis docet Aristoteles rationem inueniendi principia, ex quibus colligitur vniuersum genus propositionum: & quoniam tam in duobus istis libris quam in duobus alijs, qui sequuntur, hoc nos docet Aristoteles, omnes quatuor libri resolutorij appellantur aut de resolutione.

Quæret aliquis quamobrem Aristoteles non appellet istos libros compositorios, cùm in eidem multa disserat de compositione syllogismorum in prima, secunda & tertia figura: sed ratio non difficilè reddi potest, ea est, quia tametsi in his libris de cōpositione & resolutione syllogismorum agatur, quia resolutio est præstātior compositione & dignior, & appellatio capi debet a præstantiori iure optimo resolutorij vocantur libri, non compositorij: nā qui scit resoluere, scit etiam componere, hoc enim est hominis sapientis, componere verò cuiusuis est ingenij: qui nanque nouit cōponere syllogismum, non oportet, vt norit eundem resoluere. Proprium est enim resolutoriæ artis docere, qua ratione possimus reperire propositiones, quibus colligantur conclusiones, quæ in libris philosophorum a nobis inueniuntur, quod vbi fit, manifestè agnoscitur, vtrum ille syllogismus, quo colliguntur in prima re, an secunda, an tertia figura compositus sit. Alia ratio est, vt vno verbo vtrunque complecteretur, resolutionem videlicet & compositionem: nam quod resoluitur necesse est priùs fuisse compositum, non est autem necesse, vt quod compositum est, resoluatur.

Vt autem expediamus alteram partem quæstionis propositæ, cur inquam de priori resolutione vocentur hi libri, considerandū est, quod principia rei sunt in duplici differentia, quædam sunt materialia principia, alia formalia, hoc est, quædam pertinent ad materiam

teriam rei, alia verò ad formam: quare cum resoluere sit inquirere principia, ex quibus res constituta est, interdum inquirimus principia materialia, interdum formalia, & quoniam forma est prior atque præstantior quam materia, resolutio in principia formalia vocatur prior, in materialia verò posterior: eodem modo in demonstratiuo syllogismo duo sunt, forma (inquam) & materia: forma est syllogismus, hoc est, modus atque figura, quæ efficiuntur ex dispositione duarum propositionũ, maioris videlicet & minoris, item trium terminorum, medij, maioris extremi, & minoris, secundum quantitatem & qualitatem: materia verò demonstrationis sunt propositiones illæ, quarum prædicatum necessariam habitudinem habet ad subiectum. Isti ergo libri de priori resolutione inscribuntur, quoniam in illis nos docet Aristoteles resoluere conclusionem in princia formalia, docet enim quantas & quales oporteat esse eas propositiones, ex quibus colligenda sunt vniuersa problematum genera, vniuersale affirmans, particulare affirmãs vniuersale negans, particulare negans: nihil enim hoc loco curat materiam propositionis, quod facit in duobus sequentibus libris, quos ob eam causam appellat de poste. resolu. Hæc enim ratio est inter cæteras quas reddemus commentarijs in caput quartum, cur Aristoteles in libris de priori resolutione elementis vtatur, cùm syllogismos componit, vt intelligamus ratione formæ hoc est figuræ & modi, colligi conclusionem, non ratione materiæ. Ea etiam huius inscriptionis ratio asignari potest, quòd in his libris de genere agitur hoc est de syllogismo, in duobus sequentibus de specie, prius est autem genus quam species: hoc Aristoteles quarto capit. significat his verbis, Prius de syllogismo quam de demonstratione dicendum est, quòd vniuersalior sit syllogismus: nam demonstratio syllogismus quidam est, syllogismus verò non omnis demonstratio.

Sed obijcet aliquis hos libros potiùs inscribi debere de resolutione posteriori quam de priori, nam forma posterior est quam materia, sed in his libris docemur facere resolutionem in formam, ergo sunt inscribendi de resolutione posteriori, non de priori. Disoluitur ambiguitas, si intelligamus, resolutionem non appellari priorem aut posteriorem propter ordinem, sed propter dignitatẽ & præstantiam, vt sit sensus de præstãtiori resolutione inscribi hos libros, nam prius & posterius multis modis dicitur autore Aristo.

in post

in post præd. cap. de priori, & quidem in his libris Aristo. sepænumero eo sensu accipit prius & primum, vt cùm ait initio, primum oportet determinare, &c. nam primum idem est quod potissimũ.

Tertia quæstio initio à nobis proposita est, vtrum vtilis sit hic liber, hæc verò facilè soluitur proposita ante oculos istorum librorum materia, quid enim magis vtile putari potest, quam scire rationem conficiendi syllogismum, & habere perspectum, quo pacto inuenire possimus medium terminum aptum ad colligendum quoduis genus problematum? atqui hoc docemur his libris: vt intelligat lector totis viribus in eorum lectionem incumbendum sibi esse.

Hæc verò de priori resolutione disputatio in duo volumina diuiditur, in posteriori quidem libro Aristo. persequitur syllogismorum accidentia & vitia eorundem, prior verò in tres partes distribuitur, quæ Aristo. tmimata appellat, Latini segmenta aut sectiones vocant, qua etiam ratione multi Aristotelici libri diuiduntur: in prima sectione docet modum conficiendi syllogismum, in secũda ostendit, quo pacto comparanda sit copia propositionum ad conficiendum syllogismum, in tertia docet facere syllogismorum resolutionem.

Cùm sint autem quatuor docendi modi, Arist. in præsentia duos maximè vsurpat definitionem videlicet, & diuisionem, nam propositionem multis modis distribuit atque etiam syllogismum, frequenter etiam definitione eorundem vtitur, prætermittit verò demonstrandi atque resoluendi modum, tametsi hæc disputatio ad comparandam vtriusque modi docendi cognitionem, multum conducat. De ordine verò illud dicendum est, istos libros collocandos esse statim post librum de interpretatione, & ante libros de posteriori resolutione, quo loco vulgò collocantur. Hæc sit satis iecisse fundamenta, iam ad cæteranostra vertatur oratio.

Argumentum primi cap.

ARist. cùm de syllogismi natura, atque eiusdem accidentibus dicturus esset, illa iecit fundamenta, quæ necessaria quidem esse intellexit ad finem consequendum, ne cogeretur in medio cursu orationis disputationem abrumpere, vt hæc explanaret, quæ sanè est eius consuetudo in omni negotio, quod vel de diale-

ctica, vel philosophia tractat. Illam repetit, vt multa alia, à mathematicis, hæc ipsa præambula & velut fundamenta reliquorum explicuit Arist. tribus primis capitibus: verum in primo isto capite potissimum explanat, quid sit syllogismus, & quotuplex, præterea quæ sint ea, quibus efficitur syllogismus, terminus (inquam) & propositio, & quot sint propositionis partes.

¶ Caput primum.

PRIMVM dicendum circa quid, & de quo est intentio, quoniam circa demonstrationem, & de disciplina demonstratiua est.

§ His verbis Aristo. innuit quod sit eius propositum, non solum in his duobus libris de priori resolutione, sed etiam in duobus sequentibus de posteriori resolut. quoniam vt admonui paulò superius eodem pertinent quatuor isti libri, quibus verbis finis explanatur, cuius gratia labor suscipitur. Est igitur potissimus scopus vniuersi negotij resolutorij agere de demonstratione, & de disciplina demonstratiua. Aiunt quidam illud interesse inter demonstrationem & disciplinam demonstratiuam, quod demonstratio actū significat demonstrandi, id est excursum animi a principijs ad conclusionem, disciplina verò demonstratiua dicit habitum demonstrandi vsu comparatum atque exercitatione. Mea tamen sententia hoc loco demonstratio & scientia demōstratiua pro eadem re vsurpantur ab Aristotele, quemadmodum duo illa circa quid & de quo: hoc innuit Aristot. ad calcem penultimi capit. lib. secundi de poste. resolut. his verbis. De syllogismo igitur, & de demonstratione quidque vnumquodque est, & quomodo fit, manifestum est simul autem & de scientia demonstratiua, idem enim est. Si quod autem inest discrimen, illud duntaxat est, quod demonstratio est velut postremus finis huius negotij, disciplina verò demonstratiua veluti medium quoddam necessarium ad demonstrationem efficiendam: significat enim apparatum omnem & rationem, quæ docet, quo pacto conficienda sit demonstratio. Hæc vbi dixit, statim cætera, de quibus tanquam de medijs necessarijs ad demonstrationem acturus est, in medium adducit inquiens.

† Deinde determinandum quid propositio, & quid terminus, quid syllogismus, quis perfectus, & quis imperfectus.

Id est

§ Id est definitione explicare etiam oportet, quid hæc ipsa sint: tradit enim finitionem propositionis, termini, syllogismi, perfecti, atque imperfecti: ratio est quoniam hæc explanare cōducit ad intelligendam naturam syllogismi, quem explicare cupit in his duobus libris, fit enim ille ex propositionibus, & propositiones ex terminis: perfectum verò atque imperfectum accidentia sunt syllogismi: quæ Aristoteles lib. 1. de anima magnopere inquit conducere ad cognoscendum naturam & substantiam rei, & vtriusq; sæpe numero Aristo. facit mentionem, cùm de syllogismorum figuris disserit: Subiungit, Postea verò (dicendum videlicet est) quid est in toto esse, vel non esse hoc in illo: & quid dicimus de omni, aut de nullo prædicari.

Hæc enim sunt veluti principia, ad quæ natura syllogismorum exploratur, atque expenditur, vt dicemus paulò inferius: sed inter est inter illa duo, esse in alio, & dici de alio. Quo ordine ista Arist. proposuerat de eisdem agit exorsus a propositione, quam hoc pacto definit, cùm enim in propositionibus singulis duo insint termini, subiectum & prædicatum, duæ quoque existunt habitudines & relationes, vna subiecti ad prædicatū, altera prædicati ad subiectū, prior significatur ab Aristotele illis verbis, hoc esse in toto illo, vel non esse, quia in prædicato est subiectum vel non est: posterior verò, illis, de omni aut nullo prædicari. Nam prædicatum de omni, aut nullo subiecto dicitur: non est autem apud Aristo. idem, esse in alio atque in esse alteri, sed diuersum potius: subiectum enim inest prædicato, vt homo animali: prædicatum verò est in subiecto, vt animal in homine: hoc vocat Aristo. iparchsin.

† Propositio ergo est oratio affirmatiua, vel negatiua alicuius de aliquo.

§ Ista finitione solùm definitur propositio simplex aut categorica, nam in hac tantùm dicitur aliquid de aliquo, hoc est prædicatum de subiecto: huius rei ea ratio est, quia in præsentia potissimum agit Aristo. de syllogismo simplici, atqui simplex syllogismus ex propositionibus simplicibus efficitur, in quibus aliquid dicitur de altero. Cùm autem multis alijs nominibus hoc genus orationis significari soleat, quod diximus commentarijs nostris in lib. de interpretatione, in præsentia Aristo. propositionem vocat, quoniam proponitur ad colligendum syllogismo conclusionem.

In ea verò definitione pro genere ponitur oratio, est enim genus

nus propositionis, atque eius orationis, quæ non est propositio, cætera rationem habent differentiæ, & illis simplex propositio distinguitur ab hipotetica.

Huic verò finitioni addenda est altera pars (vt quibusdam placet, quorum sententiam nos improbamus) ea (inquam) vel alicuius ab aliquo, vt hac significetur propositio negans, altera, propositio asserens, quæ quoniam facilè adici poterat, illam Aristo. non expressit. Nam si credimus Magentino cuius sententia mihi magnopere probatur, eadem ista voce vtraque propositio significatur: nam cùm dicimus esse orationem alicuius, prædicatum significamus, cùm verò de aliquo subiectum: sensus igitur est, propositionem orationem esse, quæ constat subiecto & prædicato, cuius duæ sunt partes, affirmatio videlicet & negatio: etenim simplex propositio illam maximè naturam habet, vt subiecto constet prædicatoque. Simul verò definit Aristoteles & diuidit breuitatis studio.

Si quis quærat, quamobrem cùm in propositione insit verum & falsum, quemadmodum affirmatio & negatio, Aristot. diuiserit propositionem affirmatione & negatione, non vero aut falso, dicendum est eam esse huius rei causam, quòd ad constitutionem syllogismi plurimum refert affirmatio & negatio, verum autem & falsum nihil omnino, quia & ex veris & falsis fit syllogismus: atqui hoc loco de propositione disserit, quæ ad efficiendum syllogismũ pertinet: nam ex his verbis capi potest diuisio propositionis, vt dicamus propositionem esse duplicem, vnam asserentem, aliam negantem: asserens est oratio alicuius de aliquo, vt homo currit: negans verò est oratio alicuius ab aliquo, vt pigmeus non est homo.

Sed quæstio est, cur propositionem præposuerit Aristoteles termino, nam aut a simplicioribus exorsus est, & tunc terminum debuit prius explanare, qui est primus omnium, aut à magis compositis, & incipiendum fuit a syllogismo: dicẽdum est, quòd neq; simpliciora primùm nequemagis composita explicare voluit, sed ordinem doctrinæ sequutus a notioribus nobis incipit, propositio enim notior est termino & syllogismo: quia ea explanata iam est in libro pærihermenias, termini verò & syllogismi nulla facta mentio fuerat. Item etiam quia propositio ponitur in definitione termini, cùm dicimus, terminus est in quem resoluitur propositio, & in definitione syllogismi vbi inquimus, in qua quibusdam positis: propositionem ergo prius definire operæpretium fuit, oportet enim

enim partes finitionis prius esse cognitas definito. Proposita definitione propositionis illam Aristo. diuidit his verbis.

† Hæc autem aut vniuersalis, aut particularis, aut indefinita.

‖ Tres itaque partes facit propositionis, vniuersalem, particularem indefinitam, quæ sanè diuisio pertinet ad quantitatem propositionis, quemadmodum affirmatio & negatio ad qualitatem, qualitas siquidem propositionis est affirmatio & negatio: vnde roganti qualis propositio sit, asserentem aut negantem dicemus: quantitas verò est vniuersale aut particulare, ista enim sunt quæ terminum imponunt propositioni: quod est quantitatis peculiare: quare roganti, quanta propositio sit, vniuersalem, particularem, aut indefinitam dicemus. Si roget aliquis, cur propositam diuisionem tradiderit Aristo. dicemus eam esse rationem, quòd vniuersale & particulare ad constitutionem syllogismi maximam vim habent, vniuersa enim dispositio syllogistica constat affirmatione & negatione, vniuersali & particulari: atque ideo hæc diuisio a veteribus dicitur secundum formam, quia si varies vniuersale & particulare variatur forma syllogismi.

Secundò si roges, cur prætermiserit Aristoteles propositionem singularem, duas huic rationes reddemus: vna est, quod si singularis propositio non pertinet ad scientiam comparandam, quæ per demonstrationem efficitur, ad quam refertur syllogismus, de quo in præsentia disputamus, singularia enim non comprehenduntur scientia, quia corrumpi possunt, & infinita sunt, vt exposui commentariis in caput de specie: altera ratio est, quòd in syllogismo, singularis propositio ad particularem pertinet, & vice particularis propositionis in syllogismo collocatur. Definit statim ttes commemoratas partes propositionis, incipiens ab vniuersali atque ita inquit.

† Dico autem vniuersalem quidem, cùm aliquid omni, aut nulli inesse.

‖ Hoc est vniuersalis propositio est illa, in qua prædicatum tribuitur subiecto, affecto signo vniuersali neganti, vt nullus homo est æquus, aut asserenti, vt omnis homo est animal.

† Particularem verò, cùm alicui, aut non alicui, aut non omni inesse.

‖ Id est propositio particularis est illa, quæ significat prædicatum inesse subiecto, affecto isto signo, aliquis, aut aliquis non, aut non

non omnis, deniq; signo particulari, vt aliqua voluptas non est bo
num, aliqua voluptas est bonum, non omnis voluptas est bonum.

Animaduertendum tamen est, quod non alicui, positum est, loco huius alicui non, solet enim istud frequenter accidere apud Aristotelē, si verò æquipollentiarum rationem habeamus, non aliquis idem est quod nullus. 2. lib. summæ summularum.

†; Indefinitam autem, cùm quid inesse, vel non inesse significat sine vniuersali, vel particulari: vt contrariorum eandem esse disciplinam: aut voluptatem non esse bonum.

‖ Hoc est, cuius prædicatum significatur inesse subiecto vel nō inesse, nullo signo affecto, vt voluptas est bonum, voluptas non est bonū: indefinita vocatur propositio, quasi vacans fine, finitur enim propositio signo vniuersali aut particulari, quod ob eam rem Græci prost diorismòn, hoc est præfinitionem appellant, at verò indefinita propositio nullo signo afficitur. Potest etiam indefinita vocari propositio vacans signo, id est, incertæ significationis, quoniam modò vim obtinet vniuersalis, modò particularis: cùm enim propositio existit in materia naturali, indefinita æquipollet vniuersali: cùm verò prædicatum non conuenit subiecto secundum naturā, sed aliqua alia ratione, æquipollet particulari, vt homo iustus est.

Sed quæret aliquis quamobrem Aristo. indefinitæ tantùm propositionis exemplum præstiterit dicens, contrariorum eadem est disciplina, voluptas non est bonum: dicēdum est hoc fecisse Aristotelem studio breuitatis, nam cùm indefinita propositio materia sit vniuersalis & particularis propositionis, adiecto enim signo vniuersali efficitur vniuersalis, adiecto particulari fit particularis, satis est exemplum indefinitæ tradere, ex qua nullo negotio vniuersalis & particularis propositio efficitur.

In exemplis verò adhibitis atque etiam in multis alijs, quibus Aristoteles frequenter vtitur (vt hoc obiter admoneam) non tam ratio veritatis habenda est, quam constitutionis propositionis, nihil enim vetat falsam esse propositionem exemplum autem verum esse, & proposito negotio accommodatum: hinc ortum habuit vulgaris illa sententia dialecticorum, exēplorū nō requiritur veritas. Proponit deinde quandam aliam diuisionem propositionis, cùm ait.

† Differt autem demonstratiua propositio à dialectica: quoniā demonstratiua quidem sumptio alterius partis cōtradictionis est.

Non

Non enim interrogat, sed sumit, qui demonstrat. Dialectica verò interrogatio contradictionis est.

‖ Secunda ergo diuisio propositionum, quam Aristo. tradit, ea est, alia est demonstratiua, alia dialectica: hæc autem diuisio ex materia sumpta est, vt prior ex forma, quoniam dialectica & demonstratiua propositio non variant formam syllogismi, sed materiam duntaxat, nam syllogismus demonstratiuus & dialecticus formam seruant syllogismi, & sola materia distinguuntur. Sed dicet aliquis, quorsum Aristotel. tradit nobis hanc diuisionem propositionis? Huic dicemus, primùm ea causa factum esse, quod acturus sit de syllogismo demonstratiuo & dialectico, quorum alter demonstratiuis propositionibus constat, alter dialecticis, & necesse est intelligere prius quid sit dialectica propositio, quid demonstratiua. Altera ratio est, vt admoneat nihil impedire materiam quò minus syllogismus, quem quærimus, in libris de priori resolutione efficiatur, nam ille tam efficitur ex propositionibus dialecticis, quam demonstratiuis, modò forma obseruetur, quæ affirmatione & negatione, vniuersali & particulari potissimùm constat: quamobrem tam propositionem dialecticam quam demonstratiuam Aristotel. syllogisticam appellat, quia ex vtrâque conficiposteſt syllogismus. Differt ergo inter propositionem dialecticam & demonstratiuam, quod propositio demonstratiua, est sumptio alterius partis contradictionis: hoc probat, quoniam qui demonstrat sumit propositiones, ex quibus conficit demonstrationem, non interrogat illas v.g. qui vult monstrare, omnem hominem esse aptum ad ridendum, non rogat, vtrum animal rationale sit aptum ad ridendum, sed sumit illud, & conficit demonstrationē hoc pacto.

Omne animal rationale est risibile,
Omnis homo est animal rationale,
Ergo omnis homo est risibilis.

Ratio est, quia ea, quibus fit demonstratio, ita vera sunt atq; certa, vt rogare ea non oporteat. Dialectica verò propositio interrogatio contradictionis est, vt vtrum animal sit genus hominis nec ne: ratio est, quia dialectica propositio probabilis est, & non certa, quare vt ex eadem quidpiam conficiamus, oportet illam prius rogare, quam efficiamus syllogismum, atque ideo iure optimo interrogatio contradictionis vocatur.

Sed

Sed obiicet aliquis malè appellari hoc loco ab Aristo. propositionem dialecticam, interrogationem vtriusque partis contradictionis, si verè ab eôdem finita est in lib. pærihermenias, interrogatio alterius partis contradictionis: atqui si rectè rem ipsam cõtemplemur non pugnant hæc secum, siquidem vtrunque verum esse nihil prohibet. nam dialectica propositio actu interrogat vnam partem, alteram potestate: quod inde manifestè colligitur, quia interdum respondemus interrogationi non propositæ, vt nunquid pigmeus sit homo? respondemus non.

† Nihil autem refert, vt fiat ex vtrãque syllogismus: nam & qui demõstrat, & qui interrogat, syllogizat: sumens aliquid de aliquo esse, vel non esse.

‖ His verbis docet quo pacto inuicem conueniant propositio demonstratiua & dialectica, conueniunt enim, quòd ex vtrãq; potest fieri ratiocinatio vel syllogismus, quandoquidem tam qui demonstrat, quam qui interrogat, facit syllogismum: alter ex his propositionibus, quas sumit tanquam certas, alter verò ex illis quas dedit, is qui interrogatus est, siue propositio asserat siue neget: nã interdum syllogismus asserens fit, interdum negans. Ex his infert Aristote. quid sit propositio syllogistica, hoc est, apta vt ex eàdem efficiatur syllogismus, dicens.

† Quare erit syllogistica quidem propositio, simpliciter affirmatio vel negatio alicuius de aliquo secundum dictum modum.

‖ Ex qua finitione colligitur tria esse necessaria, vt propositio sit syllogistica, id est, accommodata syllogismo cõficiendo: vnum est, vt sit asserens, aut negans, nam affirmatio & negatio pertinent magnopere ad formam syllogismi, alterum est, vt sit alicuius de aliquo, hoc est, sit categorica aut simplex, in qua prædicatũ de subiecto dicitur nam Aristotelis mens est maximè disputare de syllogismo simplici: tertiò oportet, vt sit vniuersalis, aut particularis, aut indefinita: cùm hæc ipsa ratio propositionum ad formam syllogismi magnopere spectet, & hoc est quod Aristot. inquit secundum dictum modum, nam huiusmodi diuisionum meminerat paulò superiùs. Quoniam verò (vt dixi) syllogismus alius demonstratiuus est, alius dialecticus, est etiam propositio syllogistica duplex vna demonstratiua, quæ pertinet ad syllogismum demõstratiuum efficiendum, alia dialectica, qua constat syllogismus dialecticus, vtranque verò Aristote. in præsentia definit, quam definit exactiùs

cap.

cap. 2. lib. 1. de poster. resolut. demonstratiuam definit prius his verbis.

† Demonstratiua verò, si vera sit, & per primas propositiones sumpta.

‖ Duo habere debet propositio demonstratiua, vnum est vt sit vera, quoniam nulla propositio falsa putari potest demonstratiua: nam demonstratio facit scire, atqui scientia falsi nulla est, ergo neque propositio demonstratiua falsa esse potest. Non est autem satis veram esse propositionem, vt sit demonstratiua, quoniam contingit interdum veram esse etiam propositionem dialecticam, & differt a demonstratiua, sed necessarium præterea est, vt illa propositio sit communis notio & sententia, vel sumatur ex principijs cuiuspiam scientiæ, hoc enim est quod significat Aristo. per primas propositiones. Deinde dialecticam propositionem explicat dicens.

† Dialectica autem percontanti quidem, interrogatio cõtradictionis est, syllogizanti verò sumptio apparẽtis, & probabilis, quemadmodum in topicis dictum est.

‖ Quibus verbis non solùm explanat naturam propositionis dialecticæ, sed illam quoque diuidit in duas partes: duplex igitur est propositio dialectica, vna est eius, qui interrogat, & hæc sanè neque enunciatio est, neque affirmatio, neq; negatio: nam qui rogat, vtrum mundus regatur prouidentia. v. g neque enunciat quidpiam, neque affirmat, aut negat: hæc autem rogat dialecticus, vt syllogismum conficiat, postquam illam acceperit a respondente. Alia pars propositionis dialecticæ pertinet ad eum, qui ratiocinatur, & illa est, sumptio eius, quod apparet, atque ei videtur, cum quo fit disputatio: nam qui dialecticè ratiocinatur, colligit conclusionẽ ex propositionibus, quæ apparent illi, cum quo fit disputatio: eam rem Aristo. cap. 8. & 9. lib. 1. topic. tractat. Deinde Aristo. epilogo recenset ea, de quibus hactenus mentionem fecerat, dicens.

† Quid est ergo propositio, & quid differt syllogistica à demonstratiua & dialectica diligentiùs quidem in sequentibus dicetur. Ad præsentem verò vtilitatem sufficienter nobis determinata sint, quæ nunc dicta sunt.

‖ In sequentibus inquit Arist. diligentiùs de his dicetur ca. 2.

libri primi de posteriori resolutione, & capite primo, libri primi Topicor. De his rebus pauca quædam attingit rursum capite quarto & nono quo autem alio loco, non satis intelligo. Sed dicet aliquis, cur Aristoteles nullam fecit mentionem propositionis sophisticæ, quæ præter duo genera superiora reperitur, & est (vt apparet) syllogistica, siquidem syllogismus autore Aristotele lib. I. elenchorum triplex est, demonstratiuus, dialecticus, sophisticus: dicendum est, sophisticam propositionem tacuisse philosophum, quoniam ad artem ratiocinandi parum conducit: illa enim potius euertit syllogismum, quam vt illum efficiat, qui enim sophisticus est syllogismus, verè syllogismus censendus non est: & quæ propositio sophistica est, non est sanè propositio apta, vt ex eadem aliquid conficiatur syllogismo. Explanata propositionis natura Aristo. tradit nobis termini finitionem ratione superius à nobis assignata, atque ita inquit.

† Terminum autem voco, in quem resoluitur propositio: vt prædicatum, & de quo prædicatur, vel apposito, vel separato esse, vel non esse.

‖ Quæ quidem finitio termini aliqua ratione obscura est, hanc verò vt explanemus, pauca dicenda sunt: primum est quòd apud Aristotelem reperiuntur omnes istæ voces, terminus, dictio, nomen, verbum, vox simplex: quæ licet aliquo modo re differant, (fit enim interdum vt sint res diuersæ) maxime distinguuntur ratione: terminus enim vocatur, quatenus est pars syllogismi: & vltimò in eum fit syllogismi resolutio: dictio verò vt est pars propositionis: nomen vt subiectum, verbum vt prædicatum, simplex vox est, qua significat: vnde cùm diuerso modo ista considerantur, non pertinent omnia ad eandem partem dialecticæ, sed potius ad diuersam: verùm de ea re plura diximus commentarijs in librum peri hermenias. Deinde meminerimus, quòd disserit Aristoteles de termino etiam capite decimoseptimo, libri quinti de prima philosophia, quem appellat eo loco principium rei cuiusque, vnde quidem appellatio translata est ad subiectum & prædicatum. Ex his constat, non omnem dictionem esse terminum, nā quæuis pars propositionis, ex octo illis, quas grammatici tradunt, dictio

dictio est, terminus tamen nulla ratione esse potest, vt ex termini finitione constare possit.

Meminisse etiam oportet, quòd Aristotel. primus excogitauit hoc vocabulum terminus: hoc colligitur ex ratione loquendi, ait enim, terminum voco, sed de ea re dicturi sumus in libello nostro de ratione philosophandi Aristotelis: accepit autem hanc vocem a geometris, illi enim extremum magnitudinis terminum magnitudinis vocant, quoniam exitus est atque finis: interuallum appellant lineam, quæ terminis vndiquaque cingitur: figuram verò, quòd linea aut lineis constat: vnde Aristo. subiectum & prædicatum (in quæ præpositio desinit) terminos vocat, ipsam propositionem quæ subiecto constat & prædicato, appellat interdum interuallum, capi. inquam quarto huius lib. at figuram syllogismi, nominat dispositionem ipsarum propositionum.

Tertiò considerare necesse est, quòd ista finitione termini solum comprehenditur subiectum & prædicatum, ratio est, quia solùm hæc duo efficiunt necessariò propositionem, atque ideo solùm dicitur propositio resolui in subiectū & prædicatū, vt in animaduersionibus explicui: cæteræ verò partes orationis non sunt termini, quia non sunt necessariæ ad conficiendam propositionē, quare neq; propositio ī easdē resolui dicitur: potiùs enim pertinent ad ornatū orationis, quā ad substantiā atq; essentiam eiusdē: verbum etiā, præsertim substantiuum, nō censetur terminus, quia neq; prædicatū est neq; subiectum, sed potius vinculū quoddam subiecti & prædicati, Aristoteles verò solùm vocat terminum subiectum & prædicatū, quod autem non pertineat ad substantiam propositionum, inde colligitur, primùm quidē quia Arabes propositiones sine verbo efficiunt, & cùm volunt significare hominem esse sapientem, aiunt, homo sapiens: idem aiunt multi antiqui philosophi: Cicero præterea prima Thusc. idem ait esse dicere, miser Marcus Crasus, ac si diceremus, miser est Marcus Crasus, quòd intelligat actione non oportere collocari verba in oratione, vt illa perfecta sit: quare verbum non est necessaria pars propositionis, ergo neq; in illud propositio resoluitur, cùm vnūquodque in ea resoluatur, quibus constat, non est ergo terminus, nam terminus est, in quē resoluitur propositio.

Sed

Sed iam ad definitionem termini contendamus. Terminus itaque definitur, in quem resoluitur propositio: non est autem legendum resoluitur, sed dissoluitur, ita enim inquit Aristotel. oron calòis on dialyeti i protasis. Multum enim refert resolui in terminos, an dissolui propositionem dicamus: siquidem resolutio fit in partes formales, hoc est, quæ ad formam rei pertinent, dissolutio verò in partes materiales, id est, quæ pertinent ad materiam: atqui (vt apertè constat) terminus non est pars formalis propositionis, sed materialis tantum: illis autem verbis, quæ exempli gratia posita esse videntur (vt prædicatum & de quo prædicatur) Arist. innuit termini diuisionem: est igitur terminus duplex, vnus est subiectum, alter prædicatum: prædicatū est terminus, qui de altero dicitur, subiectum de quo dicitur alterum, nempe prædicatum, vt cùm ita loquimur, homo est animal, homo subiectum est, animal prædicatum.

Sed dubium est, quid illud sit, quod Aristot inquit apposito vel separato esse, vel non esse, videtur enim redundare altera huius sententiæ pars, satis enim est dicere, apposito esse vel nō esse, separato esse vel non esse: veruntamen facilè est propositum dubium tollere explanata Aristotelis sententia: his ergo verbis significat Aristoteles, quo pacto terminus subiectum sit, aut prædicatum in propositione, & quoniam verbum, est, vinculum est vtriusque partis, qua ratione collocari in propositione debeat. Id verò hac pacto explicādum est, propositionum quædam habent potentia verbum, est, vt Socrates legit, Plato audit: aliæ actu, vt homo est animal: earum, quæ habent potestate verbum, est, quædam negant, aliæ asserunt, quæ asserunt, vt homo currit, homo disputat, habent separatum verbum, est, quę verò negant, vt homo non disserit, habent separatum verbum non est: ergo vt Aristoteles significaret varia genera propositionum, & præterea in eisdem verbum, est, diuerso modo collocari, adiecit apposito esse, vel non esse, quibus verbis significat propositiones, in quibus actione existit verbum, est, siue illę asserant, siue negent: vt autem significaret propositiones, in quibus potestate collocatur verbum, est, siue affirmatiuæ sint, siue negatiuæ, dixit, separato esse vel non esse.

Hactenus

Hactenus tradidit nobis Aristot. terminum & propositionē, quę duo necessaria sunt ad efficiendum syllogismum, pergit iam exhibere nobis syllogismum, exorsus ab eius finitione, quem hac ratione definit Boëthius ex Aristotele.

† Syllogismus est oratio, in qua quibusdā positis, aliud quiddā ab his, quæ posita sunt, ex necessitate accidit, eò quod hæc sunt. Dico autē eò quòd hæc sunt, propter hæc accidere, propter hęc verò accidere, est nullius extrinsecus termini indigere, vt fiat necessarium.

‖ Hæc finitio syllogismi non est admodum aperta, sed obscura potius atque impedita, quamobrem diligenter a nobis explananda est.

Primum verò animaduertendum est, hanc esse legitimam syllogismi finitionem, quoniam omni, & soli syllogismo conuenit, quod oportet inesse omni veræ definitioni, vt sæpe a nobis dictū est ex sententia Aristotelis: rursum genere constat & differentijs, & quoniam vna exacta differentia non facilè suppetit, ex multis vnam efficimus: pro genere in hac finitione collocari putant vulgò orationem, quod omnis syllogismus oratio sit, non tamen omnis oratio syllogismus: veruntamen (mea sententia) non potest pro genere poni oratio, & si ponatur, hæc non erit vera definitio syllogismi: nam (vt Aristo. scribit in topicis) omnis definitio constare debet proximo genere, & quę illo nō constat reprehenditur: sed oratio non est proximum genus syllogismi, est enim propius genus propositio, quæ orationis species est, & propositione argumentatio quæ in syllogismum, enthimema, inductionem, atque exemplum diuiditur (vt in compendio dialecticæ a nobis scriptum est) ergo non potest in hac definitione ab Aristotele pro genere collocari oratio: quare loco eius vocis addi debet argumentatio, aut ratiocinatio: nomen enim lògos, quo vtitur Aristo. inter cætera ratiocinationē quoque significat vel argumentationem, & syllogisesthæ: vnde vox ista syllogismus ducta est, ratiocinari & computare significat, vt syllogizare sit veluti calculis subductis summam argumentorum colligere, quod nos alibi etiam diximus: ergo pro genere in definitione syllogismi non oratio, sed ratiocinatio, aut argumentio poni debet: cætera ponuntur loco differentiæ.

 Quibusdam

Quibusdam inquit Aristote. quia in omni syllogismo duæ vt minimum propositiones collocandæ sunt, maior inquam & minor, quo nomine differt syllogismus ab enthimemate, in quo vna tantum propositio exprimitur, altera reticetur, interdum maior, interdum minor, tametsi frequenter maior reticeatur: cuius rei rationem reddidimus in compendio dialecticę: eàdem etiam voce distinguitur syllogismus ab exemplo, in quo non ex pluribus sed ex vno tantùm singulari aliud colligimus propter similitudinem: sed eam rem longiùs persequuti sumus loco citato.

Positis inquit, hoc est, collocatis & dispositis, vt innuat modũ & figuram syllogismi, non autem admissis aut concessis, vt ineptè vulgò putatur: non enim dubium est syllogismum optimè posse colligere conclusionem, tametsi maior & minor propositio non concedantur, vna enim potestas syllogismi est ex falsis verum colligere, atque etiam falsum, vt. 5. lib. summæ summularum exposuimus: hac etiam particula distinguit Aristotel. simplicem syllogismum ab hypotetico, nam quæ collocantur in syllogismo hypotetico, non poni, sed supponi dicuntur, & suppositiones ea causa vocantur: quæ verò collocantur in syllogismo, poni dicuntur, & ipsæ simplices propositiones positiones vocatur: hac eàdẽ voce distinguitur syllogismus ab inductione, quoniam in ea licet sumantur plura singularia, non ponuntur, hoc est, non disponuntur secundum modum & figuram.

Addit Aristo. aliud sequitur, nempe conclusio, quæ diuersa est à maiori & minori propositione, diuersa quidem non ratione materiæ, cũ ex terminis efficiatur, qui in maiori & minori propositione collocantur, sed ratione formę. v.g.

Omnis homo est animal,
Socrates est homo,
Ergo Socrates est animal.

Ratio verò, cur conclusio debet esse alia à propositione maiori & minori, ea est, quia causa diuersa est ab effectu, maior autem & minor causa conclusionis sunt, differunt ergo à conclusione: ista autem voce reijciuntur à ratione syllogismi illi, in quibus idem colligitur, vt si quis dicat.

Si nox est, nox est,

Sed

Sed nox est,
Ergo nox est.

Ex necessitate etiam inquit, hoc est, necessaria consequentia infertur conclusio, non sequitur autem conclusio necessaria, hoc est, quæ non possit falsa esse, & vt istam ambiguitatem tolleret Aristo. adiecit, accidit, hoc est, consequitur, aut colligitur: ista etiam voce differt syllogismus ab inductione & exemplo, in quibus non colligitur conclusio ex necessitate, sed verisimiliter tantùm, quod etiam admonuit Aristo. lib. 1. Topi. & est a nobis explicatum in compendio dialecticæ. Rursum addit, eò quòd hæc sunt, quam vocem interpretatur idem Aristotel. dicens, eò quod hæc sunt, id est, propter hæc accidere, propter hæc verò accidere (inquit) est nullius extrinsecus termini indigere, vt appareat necessarium, hoc est, non esse opus vt extrinsecus sumatur aliquis terminus, qui sit necessarius, vt conclusio necessariò videatur colligi ex propositionibus acceptis: his autem verbis exclusit quædam genera syllogismorum, in quibus desideratur aliqua propositio, quoniam nisi illa addatur, non omnino exprimetur causa conclusionis, huiusmodi est hic syllogismus, quo Plato in Phœdone colligit animam hominis esse immortalem.

Quod per se mouetur semper mouetur,
Anima per se mouetur,
Ergo anima est immortalis.

Oportet enim perficere hoc pacto syllogismum, aliòqui fallacia est, quia non causam accipimus vt causam.

Quod per se mouetur semper mouetur,
Anima per se mouetur,
Ergo semper mouetur.
Quod semper mouetur est immortale,
Anima igitur est immortalis.

Explanata syllogismi finitione, diuidit Aristo. syllogismum, atque illum in præsentia vno duntaxat modo diuidit, cùm possit multis distribuere: ratio verò est, quoniam hæc vna diuisio necessaria est proposito, cæteræ verò adducuntur ab eo alijs locis, vel non difficilè accipi possunt ex verbis atque doctrina Aristotelis: illas nos syllogismi diuisiones possemus adducere, atque referre hoc loco, sed quoniam omnes sumus persequuti in com

 pendio

pendio dialecticæ superuacaneum putamus easdem nunc recenſere, tantùm verò trademus illam, quam nos Ariſtot. in præſenti loco docet.

† Perfectum verò voco ſyllogiſmum, qui nullius alius indiget, præter ea, quæ ſumpta ſunt, vt appareat neceſſarium. Imperfectum verò, qui indiget aut vnius, aut plurium, quæ ſunt quidē neceſſaria per ſubiectos terminos, non autem ſumpta ſunt per propoſitiones.

‖ Itaque duplex eſt ſyllogiſmus (vt inquit Ariſto.) vnus perfectus alius imperfectus, quæ quidem diuiſio & præterea vtriuſq; membri definitio primùm ab Ariſtotele excogitata eſt, quod planè conſtat ex ratione loquendi, ait enim ille, perfectum itaq; voco ſyllogiſmum: & quoniā cognitio perfecti ſyllogiſmi multum conducit ad intelligendum naturam imperfecti ſyllogiſmi, primum omnium explanat perfectum ſyllogiſmum finitione, quæ ita explicatur, Syllogiſmus perfectus eſt, qui per ſe & ſuàpte natura tam eſt euidens, vt nullius alterius rei indigideat, præter ea, quæ aſſumpta ſunt in eōdem ſyllogiſmo vt videatur neceſſariò colligere cōcluſionem: huiuſmodi ſunt ſyllogiſmi, qui conficiuntur in prima figura, de qua inferiùs dicturi ſumus. Imperfectus verò ſyllogiſmus eſt, qui, vt appareat neceſſariò colligere concluſionem, indiget vnius aut plurium, hoc eſt, conuerſione vnius propoſitionis, aut plurium propoſitionum, aut trāſmutatione propoſitionum, quibus conſtat: quo autem pacto perfici debeat imperfectus ſyllogiſmus, docet Ariſtoteles dicēs, hoc fieri debere per aſſumptos terminos, & collocatos in ſyllogiſmo imperfecto, ſiquidem illi mutari non debent, non tamen per aſſumptas propoſitiones, quinimo oportet mutare propoſitiones, & diuerſas ex eiſdem terminis efficere, quod fit, cùm illas conuertimus: hoc quo modo fieri debeat dictum eſt a nobis longiùs lib. 5. ſummæ ſummularum, & dicturi ſumus inferiùs. Efficiuntur imperfecti ſyllogiſmi potiſsimùm in ſecunda, & tertia figura.

Hæc verò ſyllogiſmorum diuiſio non eſt ſecundum naturā, nam tam ſuſcipit ſyllogiſmi rationem imperfectus ſyllogiſmus, quam perfectus, ſed ſecundum euidentiam: nam ſyllogiſmus imperfectus non tam planè atque euidenter videtur colligere concluſionem,

concluſionem, quam illam colligit perfectus: & cùm poſsit perfectior atque abſolutior reddi facta conuerſione non dubium eſt, quin iure optimo imperfectus, hoc eſt, non omnibus numeris abſolutus dici debeat: cùm perfectum ſit cui nihil addi poteſt, quod perfecto ineſt ſyllogiſmo, quamobrem non poteſt nō reprehendi Ramus atque eius frater, hoc eſt, qui in eandem doctrinam iurauit, Abdomarus Taleus, qui Ariſtotelis diuiſionem iſtam vehementer, nulla tamen cauſa increpant.

Aduerſus vtranq; finitionem ſyllogiſmi obijci aliqua poſſunt: primum quidem videtur falſum eſſe, quod Ariſto. ſcribit perfectum ſyllogiſmum nullius rei indigere, vt appareat neceſſarium ſiquidem expenditur atque examinatur (vt dicemus inferiùs) ad illa duo princia, dici de omni, & dici de nullo: ſed dicendum ad id eſt, verum eſſe quod obijcitur, examinari inquam ſyllogiſmū ad duo illa principia, neque ideo imperfectus cenſeri debet, quoniam neque terminum vllum, neque vllam propoſitionem accipit ad hoc, quod appareat neceſſarium, ſed ipſe per ſe videtur euidenter colligere concluſionem: dici autē de omni, vel de nullo non efficit euidentem illam formam colligendi, ſed docet vnde vim ſummat ratiocinatio, & pertinaci animo cōtendentem negare ſyllogiſmum, alio argumento aut ratione ex iſtis principijs ſumpta, conuincit.

Secundo obijcitur, quòd ſyllogiſmus imperfectus ſyllogiſmus non ſit, nam illi non conuenit finitio ſyllogiſmi, quia cùm vnius aut plurium indigeat nō per aſſumptas propoſitiones alicuius extrinſecus indiget vt appareat neceſſarius, quod eſt contra finitionem ſyllogiſmi, vt planè conſtat: ſed hæc obiectio facilè ea ratione diluitur, quod cùm perficimus imperfectum ſyllogiſmum conuerſione, non capimus extrinſecus terminum vllū, vt ex eius finitione apertum eſt: at verò tunc inquit Ariſtoteles concluſionem non propter hæc accidere, cùm extrinſecus termini indiget ſyllogiſmus, vt neceſſarium videatur.

† In toto autem eſſe alterum in altero, & de omni prædicari alterum de altero idem eſt. Dicimus autem de omni prædicari, quando nihil eſt ſumere ſubiecti, de quo alterum non dicatur & de nullo conſimiliter.

‖ His verbis explanat Ariſto. duo principia, ad quæ referun-

tur omnes syllogismi, & per quæ tandem examinātur: nam qui syllogismi fiunt in secunda, & tertia figura, perficiūtur ꝑ primā, qui verò existūt in prima, stabiles & firmi fiunt hijs duobus principijs: alterum principium est, dici de omni, alterum verò, dici de nullo, prius pertinet ad syllogismos asserentes, posteriusverò ad negantes. Sed dicet aliquis, quamobrem Arist. solùm exponit, dici de omni: huius rei causa est, quia cùm contrariorum cōtraria ratio sit, si explanemus, quod dicitur de omni, explanatū erit, quod de nullo dicitur: nam dici de omni & dici de nullo opposita sunt: Aristoteles autem magnopere studuit breuitati.

Rursum si roges, quamobrem meminit in toto esse vel non esse, si idem est in toto esse, & de omni dici, & in nullo esse, & dici de nullo (vt idem scribit Aristote.) Ratio est, quia sæpenumero facit in figuris mentionem eius quod est in toto esse & non esse: quemadmodum dici de omni & dici de nullo: quare oportuit priùs dicere quid esset eorum vnumquodque: & explicato quod de omni dicitur cōstat, id quod est in toto, quia est idem: non enim esse in toto & in nullo habitudinem significant subiecti ad prædicatum sed prædicati ad subiectum: quod inde constat, quia prædicatum est in toto vel in nullo subiecto: cùm est vniuersalis propositio, non autem subiectum in toto prædicato vel nullo. Deinde prædicatum formæ rationem habet, subiectū materiæ: atqui forma in materia existit, non contra: sed quoniā prædicatū est in toto vel nullo subiecto, dicit de omni aut nullo subiecto. Dici autem de omni est (vt inquit Arist.) quando nihil est sumere subiecti, de quo non dicatur prædicatum: hoc verò principium hac ratione accommodatur syllogismo asserēti primæ figuræ, si neget quispiam illum esse legitimum: in hoc syllogismo de omni dicitur, ergo hic est optimus syllogismus, antecedens est verum, quia maior propositio est de omni, hoc est, vniuersalis asserens in quouis syllogismo affirmatiuo primæ figuræ, consequentia verò probatur, quia si prædicatum maioris propositionis dicitur de omni subiecto, ergo de quolibet contento sub illo: sed subiectū minoris propositionis, accipitur sub subiecto maioris, & tanquam pars subiecti maioris in prima figura, ergo dicetur prædicatum maioris in conclusione de subiecto minoris propositionis: probo consequentiam, quia dici de omni

omni est, cùm nihil est sumere subiecti, de quo non dicatur prædicatum: est igitur optima atque exactissima ratiocinatio syllogismus affirmatiuus primæ figuræ, hæc est etiam illa regula cuius Aristo. meminit in anteprædic. illis verbis, quando alterū de altero dicitur vt de subiecto, quæcunq; dicuntur de prædicato, necesse est dici de subiecto, sed in minori propositione medium dicitur de minori extremo, & in maiori propositione maius extremū dicitur de medio, ergo & in conclusione prædicabitur de subiecto minoris, de quo mediū prædicabatur: sed hoc tantū efficio in syllogismis asserētibus primæ figuræ, quare illi sunt perfecti. Alterum principium, vnde accipit firmitatem & robur, & quo nititur syllogismus negans primæ figuræ est, dici de nullo: quod ita finiri potest. Dici de nullo est, quando nihil est sumere subiecti a quo non remoueatur prædicatum: accommodatur syllogismo neganti hoc modo, in hoc syllogismo dicitur de nullo, ergo est euidens syllogismus: antecedens patet, quia maior syllogismi perfecti negantis in prima figura est vniuersalis negans: consequentia verò probatur, quia quod remouetur ab aliquo omnino, remouetur a quolibet contento sub illo, sed prædicatū maioris remouetur ab omni subiecto, ergo & a subiecto minoris, quod accipitur veluti cōtentum sub maioris subiecto, atqui in conclusione solum remoueo a subiecto minoris prædicatum maioris, ergo syllogismus negatiuus primæ figuræ est præstantissimus: sed de hac re, multa diximus lib. 5. summæ summularū. Qua verò ratione dici de omni, cuius in præsentia facimus mentionem, differat a prædicato de omni cuius meminit Aristotel. cap. 4. lib. 1. de poste. resolut. dicemus commentarijs, in eum locum, nunc verò satis sint, quæ a nobis dicta sunt, & ad secundum caput vertamus orationem.

Argumentum cap. secundi.

IN præsenti capite Aristo. tradit rationem conuertendi propositiones vacātes modo, hoc est inexistentes, quæ vulgò de inesse vocantur, & quoniam illæ sunt in quadruplici differentia, quatuor præcepta tradit, quibus earum conuersio cōtinetur: addit insuper rationem, qua præcepta confirmet.

¶ Caput

¶ Caput secundum.

QVoniam autem omnis propositio est, aut de inesse, aut ex necessitate inesse, aut contingere inesse.

|| Principio quæstio est, quamobrem hoc loco Aristote. de conuersione disserat. Verum ea facile dilui potest: ratio enim cur de conuersione propositionum Aristo. agat ea est, quòd conuersio sit necessaria ad perficiendum syllogismos imperfectos: illi enim ostensiuè, aut per conuersionem absoluuntur (vt docebit Aristote.) necessarium autem fuit explicari prius, quæ pertinent ad reducēdum imperfectos syllogismos ad perfectos.

Si autem quis roget, quæ causa sit, cur Aristoteles acturus de conuersione, non dixerit, quid illa sit, ea causa assignari poterit, quòd satis fuerit explicuisse singulas partes conuersionis, vt vniuersa constaret, & præterea hoc quod est ab Aristotele traditum satis esse ad reliqua intelligenda: si enim ad amussim omnia explicanda essent, quæ incidunt in hanc disputationem, nullum exitū haberet oratio.

Sed quoniam scio plerosque rogaturos, quid sit conuersio, & quot eius partes, paucis de his rebus in præsentia agam: plura enim in hanc sententiam lib. 2. summæ summularum a nobis scripta sunt.

Conuersio igitur apud Aristote. quadruplex est, quædam est conuersio denominationis, alia terminorum, propositionum alia, alia syllogismorum. Conuersionis secundum denominationem mentionem facit Aristote. lib. 2. Topic. illa est, cùm denominatio conuertitur, vt si inest homini animal, verum est conuertentem dicere, homo est animal: habet autem hæc conuersio locum tantùm in his, quæ simpliciter insunt alijs, non secundum partem: vt si inest homini album, verum est conuertentem dicere, homo est albus: at verò licet æthiopi insit albor secundum dentes, non est necessarium conuerti atque dicere, æthiops est albus, quia album æthiopi non simpliciter inest, sed secundum partem. Secunda conuersio est terminorum, cùm (inquam) de eàdem re dicuntur, vt homo est susceptiuus disciplinæ, aut inuicem referuntur, vt pater & filius dicuntur cōuerti, de qua disserit Aristote.

stotel. in prædicamen. cap. de his quæ sunt ad aliquid. Tertia est syllogismorum, cùm ex opposito conclusionis & altera parte antecedentis alteram interimimus, de qua disserit Aristot. lib. 2. de priori resol. & a nobis de ea disputatum est lib. 5. summæ summularum cap. 18. Vltima est conuersio propositionum, cùm (inquam) inuertimus eius partes, subiectum videlicet & prædicatum, de qua nobis in præsentia est disputandum, & disputatur ab Aristotele præsenti & proximo capite.

Conuersio igitur propositionis, quantum ex Philopono & Magentino licet intelligere, est conuenientia duarum propositionum secundum vtrosque terminos, variato tamen ordine, & seruata eidem qualitate & veritate. In hac descriptione pro genere ponitur conuenientia, quoniam omnis conuersio conuenientia est, non tamen omnis conuenientia conuersio: duarum propositionum dicimus, quo verbo differt propositionum conuersio a tribus superioribus: secundum vtrosque terminos, hoc est, subiectum & prædicatum, ordine tamen mutato: nam quod vnius propositionis subiectum est, oportet, vt sit in altera prædicatum, & vice versa: seruata qualitate adiecimus, quoniam hoc est in primis necessarium in omni conuersione, vt si propositio, quæ conuertitur, est asserens, ea inquam conuertitur, asserat: si negans, neget altera: quantitatem verò non semper oportet eandem manere. Postremò adiectum est, seruata veritate, volumus dicere, quòd si propositio quæ conuertitur, vera sit, oportet etiam veram esse eam, inquam conuertitur: aliò qui bonæ consequentiæ antecedens verum esset, & consequens falsum: nam ab vna alteram propositionem colligere syllogismo licet: vt distingueremus conuersionem ab euersione, quæ Græcè anastrophi, dicitur, vt omnis homo est animal, omne animal est homo. Hæc conuersio, triplex vulgo traditur, vna simplex, quam Aristotel. in se ipsam vocat, altera per accidens, quam appellat in partem, tertia est conuersio cum oppositione, quæ appellatur passim per contra positionem: de quibus plura diximus. lib. 2. summæ summularum: duarum priorum conuersionum Aristo. mentionem facit præsenti cap. atque etiam sequenti, tertiæ nunquam meminit.

Si quærat aliquis, cur conuersionis cum oppositione nullam mentio-

mentionem Aristote. fecerit? Illam oportet rationem reddere, Aristotel. vt admonui, de conuersione disserit, quòd sit necessaria ad perficiendum syllogismos imperfectos, atqui conuersio cum oppositione ad istam rem efficiendam nihil prodest, cùm in ea mutentur termini, atq; ex finitis efficiantur infiniti, ergo nō oportuit eius meminisse: probo consequentiam, quia reductio syllogismi imperfecti debet fieri seruatis eisdem terminis, vt ex finitione imperfecti syllogismi apertè constat. Sed iam tempus est vt ad Aristote. reuertamur, atque eius sententiam hoc loco interpretemur: ergo vt rationem conuertendi propositionem doceat, tres repetit Aristoteles propositionum diuisiones, quarum prima hæc est, propositionum alia est de inesse, alia de necessario inesse, alia de contingere inesse.

Sed quæres, vtrùm hæc ipsa diuisio ex materia propositionū sumenda sit, an potius ex enunciatione aut forma: nihil opus est multa dicere de hac re, aperta est sententia Aristote. diuidit ille quidem in præsentia propositionem secundum rationem formæ, aut secundum modum enunciandi, quod exemplis quibus vtitur apertè constat: propositionem de inesse vocat vacantem omnino modo, siue sit in materia contingenti, vt est homo iustus, siue naturali, vt homo est animal, siue remota, vt est homo lapis: propositio de contingeter inesse est illa, quæ afficitur modo contingenter, in quacunque materia existata, vt homo contingenter iustus est: atverò propositio de necessariò inesse ea est quæ modo isto necessariò afficitur, vt homo necessariò est animal, in quacunque materia existat Deinde dubium est, cùm præter contingens & necessarium duo alij modi existant posibile & imposibile Aristotele autore in libro peri hermenias, cur duorum tantùm modorum meminit? Diluitur quæstio, quòd duo alij modi ad istos referuntur: nam imposibile refertur ad necesse, posibile ad contingens: nam quod necesse est esse, imposibile est non esse, & quod imposibile est esse, necesse est nō esse: idem etiam de posibili & contingenti iudicium est, solùm verò differunt dicendi figura & charactere.

Tertiò, cur non meminit aliorum etiam modorum, vt bene, male, velociter, tardè, & similium? Ratio est, quia isti modi adiecti propositionibus non efficiunt, vt alia ratione conuertantur, quam

quàm si adimerentur, proponit autem ille eos tantùm modos, qui in causa sunt, cur diuerso modo conuertatur propositio.

Quartò, quamobrem non fecit mentionem propositionum de præterito & futuro vacantium modo, sed duntaxat propositionum de præsenti? Dicendum est, illas contineri sub propositionibus de inesse, quia vacant modo, vel si sub illis non existūt, non oportuit earundē mentionem fecisse, quoniam nō alio modo conuertuntur quam propositiones de inesse, aut de præsenti.

† Harum autem, hæ quidem affirmatiuę, illæ verò negatiuę secundum vnamquanque appellationem.

‖ Hæc est secunda diuisio huic rei accōmodata maximè, propositionum alia est asserens, alia negans, siue sit illa de inesse, siue de contingere inesse, siue de necessariò inesse: hoc enim est, quod Aristoteles inquit secundum vnamquanque appellationem: non definit autem in præsentia asserentem aut negantem propositionem, quoniam id fecerat lib. peri hermenias, sed solùm diuisionem reuocat in memoriam.

† Rursum autem affirmatiuarum, & negatiuarum, aliæ sunt vniuersales, aliæ particulares, aliæ indefinitæ.

‖ Hæc est tertia diuisio, quā, vt proposito negotio cōsentaneā repetit ex cap. proximo & lib. peri hermenias. Quæres, cur vna cum vniuersali & particulari Arist. non recensuit propositionē singularem? Ratio est, quia illa, non alio modo, quàm particularis conuertitur: vel ad syllogismos cōmunes, de quibus in his libris disputamus, non spectat. Sed cur indefinitæ meminit, quæ perinde vt particularis vertitur? Ob eam rem, vt diuisionem propositionum integram hoc loco traderet, quemadmodum fecerat proximo capite: quę quoniam non alio modo conuertitur, quam particularis, contentus fuit Aristo. dicere, quo pacto propositio particularis conuertatur, missamq; fecit indefinitam.

Postremò, quamobrem tres tantùm diuisiones recensuit, cum præter has multæ sint aliæ? Ratio est, quia triplex istud genus propositionum diuersa ratione conuertitur, cætera eodem modo. Arist. verò consueuit ea tantum repetere, atque deducere ex alijs locis, quæ sunt admodùm necessaria proposito.

† Vniuersalem quidem priuatiuam de eo quod est inesse necesse est in terminis conuerti, vt si nulla voluptas est bonum, neque

neque bonum vllum erit voluptas. Prædicatiuam autem conuerti quidem necessarium est, non tamẽ vniuersaliter, sed in parte: vt, si omnis voluptas est bonum, & bonum aliquod voluptas. Particularem autem affirmatiuam quidem conuerti necesse est particulariter: nam si voluptas aliqua bonum, & bonum aliquod erit voluptas. Priuatiuam verò non est necessariũ, non enim si homo non inest alicui animali, & animal non inest alicui homini.

‖ Propositis tribus superioribus diuisionibus tradit Aristot. quatuor documenta, quibus docet, qua ratione singula genera propositionum conuertãtur: sumit autem initium a propositione vniuersali negante, atque illam dicit conuerti in terminis, hoc est, simpliciter atque in se ipsam, optimè enim sequitur, nulla voluptas est bonum, ergo nullum bonum est voluptas.

Secundum præceptum accommodatur vniuersali asserenti, quam dicit conuerti in partem, vulgo per accidens conuerti dicitur, vt omnis voluptas bonum est, ergo aliquod bonum est voluptas.

Particularis asserens in se conuertitur, aut simpliciter, vt aliqua voluptas bonum est, ergo aliquod bonum est voluptas. Particularis negans non conuertitur, non enim rectè colligas, aliquod animal non est homo, ergo aliquis homo non est animal. Sed hoc loco, primùm a quibusdam reprehenditur Arist. quòd exemplis falsis vtatur, nam falsum est omnem voluptatem bonũ esse, atque etiam nullam voluptatem esse bonum. Verùm facilè Aristote defendi potest duplici ratione, vna ratio est, quod tametsi propositiones quibus vtitur falsæ sint, exempla vera sunt, quia Aristoteles ad conuersionem efficiẽdam solum habet hoc loco rationem formæ, hoc est, affirmationis & negationis, vniuersalis, & particularis, non autem materiæ. Altera ratio est, quòd etiam si rationem materiæ habere velimus, Aristote. nullo modo falsas accipit propositiones, quoniam illæ omnes hipoteticæ sunt, hoc est conditionales, quæ nihil prorsus statuunt asseruntuè, ita enim inquit, si nulla voluptas bonum est, & si omnis voluptas bonum est.

Deinde quæstio est, cur primo loco Aristo. collocauerit propositionem vniuersalem negantem, is enim locus videtur deberi

beri vniuersali asserenti, quæ præstantior est atque melior. Diluenda ambiguitas est eo nomine, quòd vniuersali neganti debetur in præsentia princeps locus: nam cũ sit vniuersalis priori loco reponi debuit, quam particularis, nam vniuersale præstabilius est particulari, vt totũ singulis partibus: nã vniuersale totum est, particulare vniuersalis pars: & quoniã cõuertitur in seipsam aut in terminos, præstantius conuertitur, quam vniuersalis asserens, vtroque ergo nomine antecedit cætera genera propositionum. Accedit ad hoc, quod conuersio propositionis vniuersalis negantis (vt ostendemus paulò inferiùs) est veluti fundamẽtum reliquarum conuersionum. Sed obijciet aliquis, non videri perpetuum quod ait Arist. nam interdum altera propositio falsa est altera vera: non enim sequitur omnis homo est in domo, ergo aliqua domus est in homine, nullus paries est in palo, nullus palus est in pariete. Hæc obiectio dissoluitur, si rectè efficiamus cõuersionem, atque ex integro prædicato integrum conficiamus subiectum, hoc modo, omnis homo est in domo, aliquis qui existit in domo homo est, nullus paries est in palo, nihil quod existit in palo paries est: sed de ea re plura diximus lib. 2. summæ summularum.

† Primum ergo sit priuatiua vniuersalis, a b, propositio, si ergo nulli b inest a, neque a nulli b inerit. Nam si alicui inest, vt c, non verũ erit, nullũ b esse a, nam c eorũ quæ sunt b, aliquid est.

‖ Non est contentus Aristo exemplis monstrasse, qua ratione singula genera propositionum cõuertantur, hoc ipsum ratione, atque illa efficacissima, demonstrat discurrens per singulas partes, exorsus ab vniuersali negante, quam probat in terminos conuerti: ergo hanc accipit propositionem, nullum b est a, quam probat in terminis conuerti hoc pacto, nullum b est a, ergo nullum a est b: nam si non bene colligitur, antecedens verum est & consequens falsum, consequens falsum est, ergo eius contradictorium est verum, aliquod a est b, ponamus illud a, quod est b, esse c: bene sequitur c est b, & c est a, ergo aliquod b est a: cõsequentia bona est, & vtraque pars antecedentis vera (vt apparet,) ergo & consequens: sed contradicit huic nullum b est a, quod est ex hypotesi verum, ergo duo contradictoria vera existunt, si vniuersalis priuans non conuertatur simpliciter, aut in se ipsam: de-

 ductione

ductione igitur ad absurdum rem probat Aristot. Sed dicet aliquis, Aristotelem in explicanda ratione perperam progressum fuisse, nam aut fidem facit propositi per conuersionem particularis propositionis asserentis, cuius hactenus nullā mentionem fecerat, & quā de inde per vniuersalem negantem probat, aut per syllogismū expr oprijs in tertia figura, qui maximè ignotus est: quorum vtrunq; absurdum est. Verum ad id respondendum est, neutrū vitium admisisse Aristotelem: quia neque particulari asserente vtitur, neque syllogismo in tertia figura, vt obijciebatur: vtitur autem Aristo. sensibili demōstratione, quæ licet in tertia figura confici possit, non ea quidem vtitur vt syllogistica ratione, sed tanquam sensibili cognitione,

† Si verò omni b inest a, & b alicui a inest, nam si nulli, neque a vlli b inerit: sed positum erat omni inesse.

‖ His verbis Aristo. probat propositionē vniuersalem asserē tem verti in partem, hoc est, in particularem propositionē: quia bene sequitur, omne b est a, ergo aliquod a est b: nā si non sequa tur, antecedens verū est, & consequens falsum, nempe nullū a est b, ergo nullum b est a, in quam conuertitur simpliciter vniuersa lis priuans, sed positum erat verum omne b esse a, ergo duo con traria vera sunt, omne b est a, & nullum b est a.

Vocatur autem hæc conuersio per accidens, quasi per aliud, quia vniuersalis asserens ratione alterius in partem conuertitur: nam quia vniuersalis infert particularem, & particularis in partem conuertitur, vniuersalis in eandem cōuertitur particularem sed per medium aliquod non per seipsam.

† Similiter autem & si particularis est propositio: nam si inest a alicui b, & b alicui eorum quæ sunt a, necesse est inesse: si enim nulli, neque a vlli inerit b.

‖ Hoc loco probat particularem propositionem asserētem conuerti in partem, vt aliquod b est a, ergo aliquod a est b: nam da oppositum, antecedens erit verum, & consequens falsum, illud videlicet, nullum a est b, sed conuertitur in se, vt nullum in quam b est a, ergo hoc est verum, & ex hipotesi, verū est aliquod b est a, ergo duo contradictoria sunt vera, nisi particularis asserens conuertatur in partem.

† Si autē a alicui eorū quæ sunt b non inest, non necesse est & b alicui a non inesse, vt si b quidem sit animal, a verò homo, homo enim non omni animali, animal verò omni homini inest.

‖ Iam ostendit particularem priuatiuam nō conuerti, & hoc exemplo, non enim rectè sequitur, aliquod b non est a, ergo aliquod a non est b, quod planè constat, si accipiamus loco elemē torum voces, quę significant: non est enim necesse si aliquod ani mal non sit homo, aliquem hominem non esse animal, prior enim propositio vera est, posterior falsa.

Si quando verò conuertitur, quod fit, vbi propositio existit in materia contingenti, non oportet, vt fateamur perpetuò con uerti: illud enim euenit ratione materiæ, nos formam inquirimus. Verum aduersus ea, quæ de conuersione diximus, sic obijcio, propositio particularis negans conuertitur, ergo falsum est, quod diximus, antecedens probatur hac ratione, nullum b est a, ergo aliquod b non est a, nullum a est b, ergo aliquod a non est b, aliquod a non est b, ergo aliquod b non est a: prima propositio dicatur c, secunda d, tertia e, quarta f, tunc sic nectitur argumentum, sicut se habet c ad e, ita se habet d ad f, sed c & e conuertuntur, vt constat, ergo d & f, probo consequentiam à commuta ta proportione, quod si verum est, propositio particularis negans conuertitur, atque id non modo ratione materiæ, sed for mæ potius. Dicendum est ad hoc, quòd argumentum peccat fal lacia accidentis: ratio est, quia ratio medij permutatur, & non manet semper eadem: nam prima comparatio sumitur ex illa tione, secunda sumitur ex conuersione, oportebat autem eodē accipi modo: denique vt cōuersio legitima fiat, necessarium est in vtraque propositione eundem sensum retineri, nam si ille varietur, conuersio nulla erit, qua verò ratione id fieri debeat præcepimus lib. 2. summæ summularum.

Argumentum cap. tertij.

POstquam Arist. docuit rationem cōuertendi propositiones de inesse, trāsfert orationē ad propositiones, quæ cū modo enuciantur, & mōstrat, quo pacto propositiones cōuertātur, in qbus existit mod⁹ necessariò, aut cōtingēter, ęqucūq; illę sint. de ꝓpositionib⁹ aūt vacātib⁹ modo primū oīm egit, qm̄ illę sūt planiores

planiores: deinde de illis, in quibus existit modus necessariò, quia quod ad conuersionem attinet, proximè accedunt ad propositiones de inesse: postremo loco de his, in quibus inest modus contingenter, quoniam aliquo pacto a conuersione priorũ propositionum discrepant: quatuor verò præcepta assignat singulis generibus, quod fecit etiam proximo capite.

¶ Caput tertium.

EOdem autem modò se habebit in necessariis propositionibus, nam vniuersalis quidem priuatiua vniuersaliter cõuertitur. Affirmatiuarum verò vtraque particulariter.

‖ Considerandum nobis initio est, quod Aristo. in præsentia non sumit affirmationem aut negationem ex modo, sed tantùm ex verbo, atque ideo hanc propositionem vniuersalem priuatiuam vocat, necesse est nullum b esse a, istam verò asserentem, necesse est omne b esse a: aliter enim hoc loco disserit de his propositionibus, quam in lib. de interpretatione, quo loco affirmatiuam illam vocat propositionem, cuius modus non afficitur negatione, negantem cuius modus afficitur. Præceptum igitur Aristote. illud est. Propositiones, in quibus existit modus necesse, eodem pacto conuerti, quo pacto conuertuntur propositiones de inesse: quare vniuersalis priuans cõuertitur vniuersaliter, vel in se ipsam, asserens verò vniuersalis, in partem, similiter particularis asserens.

† Nam si necesse est a nulli b inesse, & necesse est b nulli a inesse: si enim alicui contingit, & a alicui b continget.

‖ Ratione probat propositionem vniuersalem negantem simpliciter, aut in se ipsam conuerti, illa verò ratio ducit ad absurdũ hoc modo, si non rectè sequatur necesse est nullum b esse a, ergo necesse est nullum a esse b: antecedens est verum, & consequens falsum: consequens falsum est, ergo contingit aliquod a esse b: contingit aliquod a esse b, ergo aliquod b esse a: quare duo ista contradictoria vera sunt, necesse est nullum b esse a, & contingit aliquod b esse a.

Sed dubium est, si verum est tantùm vnum vni opponi, vt dixit Aristo. ad calcem libri de interpretatione, qua ratione huic propositioni vniuersali neganti, necesse est nullum b esse a, istud

a, istud assignet oppositum, necesse est aliquod b esse a, & illud rursum contingit, aliquod b esse a, & rursum illud, aliquod b est a. Dicendum est, quòd nihil prohibet vni plura esse opposita, quæ licet sint verbis diuersa, re & significatione sunt eadem, cuiusmodi sunt quæ diximus: diuersa verò & inæqualia plura vni opponi posse, negat Aristo.

Secundò videtur Aristotel. perperam monstrare, quod propositio vniuersalis negans in se conuertatur, nam illud probat per conuersionem propositionis de contingenti, de qua nihil quidem dixerat. Sed dicendum ad id est, quod Aristoteles non id probat per conuersionem propositionis de contingenti, sed deductione ad absurdum: accipit enim Aristote. propositionem de cõtingenti, oppositam propositioni de necesse, & quoniam contingens in præsentia est, quod non est necesse, vt fiat, sed si factum ponatur, nihil absurdi consequitur, accipit propositionem de inesse, & illam conuertit iuxta præceptum, quod tradidit proximo capite: deinde accipit propositionem de contingenti, quę opponitur propositioni, in qua existit modus necesse: hac via, contingit aliquod a esse b, demus ergo, aliquod a esse b: bene sequitur, aliquod a est b, ergo aliquod b est a: consequentia est bona, quia particularis asserens in particularem conuertitur, antecedens est verum ex hypotesi, ergo & consequens: quòd si aliquod b est a, contingit aliquod b esse a: quare duo contradictoria vera efficiuntur, nempe necesse est nullum b esse a, & contingit aliquod b esse a, nisi simpliciter conuertatur vniuersalis priuans de necesse: eodem pacto existimandum est euenire in confirmatione reliquarum propositionum. Si rursum obijciat aliquis, non vitari etiam hac ratione quin Aristot. per ignotius fidem notioris faciat, siquidem contingenti vtitur in oppositione efficiẽda, cuius antea non meminerat. Dicemus hoc falsum esse, nam de contingenti & modorum oppositione satis multa dixerat philosophus in libro de interpretatione, quem, qui ad cognitionẽ contendit syllogismi, nouisse debet.

† Si autem ex necessitate a omni, vel alicui b inest, & b alicui a necesse est inesse: nam si non ex necessitate inest, neque a alicui b ex necessitate in erit.

‖ His verbis simul complexus est Aristo. vtranque propositionem

tionem asserentem, vniuersalem (inquam) & particularem. Vniuersalis ergo asserens in partem conuertitur hoc modo, necesse est omne b esse a, ergo necesse est aliquod a esse b: quia si non sequitur, consequens est falsum, quare contingit nullū a esse b, & si contingit nullum a esse b, contingit nullum b esse a: quare duo illa vera erūt, necesse est omne b esse a, & contingit nullum b esse a: eadem ratio accommodabitur particulari asserenti, & in explicanda ratione vtrāque modum illum sequimur, quem sequuti sumus, cum vniuersalem priuatiuam conuerteremus.

† Particularis verò priuatiua non conuertitur, propter eandem causam, propter quam & supra diximus.

¶ Causa verò illa est, quam reddidit monstrans particularem negantem de eo, quod est inesse, non conuerti: non enim sequitur, necesse est aliquod animal non esse hominem, ergo necesse est aliquem hominem non esse animal, antecedens enim verum est, & consequens falsum.

Sed anteaquam hinc abeam, diluenda quædam ambiguitas est: videtur enim falsum esse, quòd propositio vniuersalis negas, in qua existit iste modus necessariò, simpliciter cōuertatur: nam si ita fiat, quæ conuertitur vera propositio erit, falsa verò ea, in quam conuertitur: hæc enim vera est, nullus homo necessariò est grammaticus, ista autem falsa, nullum grammaticum necessariò est homo: quoniam si quispiam grammaticus est, necessariò homo est. Sunt qui dicant veram esse conuersionem, si modus efficiat sensum compositum, non si diuisum: Aristotelem verò in præsentia tantùm locutum fuisse de modalibus compositis, non de diuisis: quid autem intersit inter modales compositas & diuisas satis superq; a nobis explicatum est lib. 2. summę summularum. Verum mihi ita videtur præcepta conuertendi, quæ Aristote tradit, omni generi modalium propositionum seruire neque fieri vnquam posse, vt vna vera sit, altera falsa: modò idem sensus in vtrāque propositione retineatur: vnde, quia hæc propositio, nullus homo necessariò est grammaticus, est vera, in sensu diuiso, est enim huic æqualis, nulli homini necessariò inest grāmaticum, ista etiam in quam conuertitur, est vera, nullus grammaticus necessariò est homo: cuius sensus est, nullum quod est necessariò grammaticum, homo est: nam nihil est, quòd sit necessa-

cessariò grammaticum. Si verò vtrāque efficiat compositū sensum, vtraque falsa est: hæc enim apertè falsa est, necesse est nullū hominem esse grammaticum, & illa similiter, necesse est nullum grammaticum esse hominem.

† In contingentibus verò, quoniam multipliciter contingere dicitur, nam & necessarium, & non necessarium, & possibile, contingere dicimus.

¶ Antequam Aristote tradat rationem conuertendi propositiones, in quibus existit modus contingenter, ponit nobis ante oculos varios intellectus contingentis, vt disputatio suscepta planior atque apertior habeatur: inquit ergo cōtingens tribus modis dici solere, nam contingens vocatur interdum, quod necessarium est, qua significatione dicere solemus, contingere hominem mori, quem scimus necessariò moriturum: interdum verò pro inexistenti, hoc est, pro eo, quod existit, sed non necessariò: interdum verò pro possibile, quo intellectu dicimus, contingere hominem lauari, quoniam & lauari potest, & potest, si velit non lauari: his ergo tribus modis contingens vsurpatur: hoc autem postremum contingens omnino opponitur necessariò, nā necessarium illud est, quod inest subiecto, & non potest non inesse: contingens verò tertia significatione est, quod non inest subiecto, & si insit, potest non inesse: quod sanè contingens paulò inferius Aristote definit, & diuidit, quod etiam fecerat in lib. de interpretatione, quo loco agit de oppositione propositionum de futuro contingenti: appellat autem in præsentia contingens non necessarium, illud, quod nos tertia significatione accipi diximus, quia prorsus (vt ostendi) aufert necessarium. Proposita diuisione contingentis, incipit docere, quomodo propositiones de contingenti conuertantur: exorditur autem a conuersione propositionum asserentium, quoniam quacunque significatione cōtingens vsurpetur, propositio asserens eodem modo conuertitur, quod non perinde accidit in propositionibus priuatis.

† In affirmatiuis quidem similiter se habebit secundum cōuersionem in omnibus. Nam si a omni aut alicui b contingit: & b alicui a contingit: si enim nulli, neque a vlli b: ostensum est enim hoc prius.

¶ Hoc præcepto vtrunq; genus propositionū asserētium quocunque

cunque intellectu contingens sumatur, Aristote. complectitur: atque ita inquit. Quòd propositiones asserentes in omnibus significationibus contingentis reciprocantur, & cõuertuntur modo eodem: nam vniuersalis asserens conuertitur in partem: particularis asserens, in seipsam, hoc est, in particularé. Hoc ita persuadet Aristo. quia bene sequitur, contingit omne b esse a, ergo contingit aliquod a esse b: item contingit aliquod b esse a, ergo contingit aliquod a esse b: nam aliàs duo contraria vel contradictoria vera erunt: nam si non sequitur, antecedens verum est, & consequens falsum, ergo eius contradictorium est verum, nempe, contingit nullum a esse b: sequitur hinc, ergo contingit nullum b esse a: sed contingit omne b esse a, & contingit nullum b esse a, sunt contraria: contingit aliquod b esse a, contingit nullum b esse a, contradictoria: ergo nisi vniuersalis asserens & particularis conuertantur in partem, contraria aut contradictoria vera erunt.

Dicet aliquis, quo pacto valet illa consequentia, contingit nullum a esse b, ergo contingit nullum b esse a, si nihil hactenus de negatiuis dictum est? Respondet Aristo. ostensum esse priùs: sed quo loco? eo nempe, in quo de conuersione propositionum vniuersalium priuatiuarum de inesse, & necessariò, disseruit: nã vel contingens est idem, quod existens, aut quod necessarium, de conuersione verò propositionis vniuersalis priuatiuæ, quæ existere significat, & quæ necessario inesse, hactenus est disputatum.

† In negatiuis verò non similiter: sed quæcunque quidem cõtingere dicuntur, ex eo quòd ex necessitate non insunt, vel in eo quòd non ex necessitate insunt, similiter. Vt siquis dicat hominẽ contingere non esse equum, aut album nulli tunicæ inesse. Horum enim hoc quidem ex necessitate inest: illud verò non ex necessitate inest, & similiter conuertitur propositio: nam si contingit nulli homini equum inesse & hominem cõtingit nulli equo inesse, & si album contingit nulli tunicæ, & tunicam contingit nulli albo: si enim alicui necessariò, & albũ tunicæ alicui inerit ex necessitate: hoc enim ostensum est priùs. Similiter autem & in particulari negatiua.

¶ Tradit rationem conuertendi propositionem negantem, siue

siue illa vniuersalis sit, siue particularis: & quoniã, vt admonuit Aristote. paulò superiùs, contingens tribus modis dicitur, disputationem de conuersione negantium propositionum de cõtingenti in duas partes distribuit, & vtranque duplici præcepto exponit: primum est, Propositiones negantes de contingenti non eodem modo omnes conuertuntur, hoc est, secundum omnem congentis significationem, sed si contingit accipiatur pro necesse, vel pro inexistenti, conuertitur vniuersalis priuans in terminos, vel in se ipsam, more propositionum negantium de inesse & necesse. Hoc probat exemplo partis vtriusque, bene enim sequitur, contingit nullum hominem: esse equum, ergo contingit nullum equum esse hominem quod est exemplum contingentis, accepti pro necessariò: ista enim propositio, necesse est nullum hominem esse equum in istam conuertitur, necesse est nullum equum esse hominem, vt priùs ostensum est. Item si pro inexistenti accipiatur contingens, vniuersalis negans in se ipsam conuertitur, verbi gratia, contingit nullam tunicam esse albam, ergo contingit nullum album esse tunicam: ostensum est enim superiùs, cùm ageremus de conuersione propositionum vniuersalium negãtium de inesse. Propositio verò particularis priuans, duabus his significationibus vsurpato contingenti, nulla ratione conuertitur: nam si conuertatur, vna propositio vera erit, altera falsa: exempla eadem accommodari possunt huic præcepto explicando, quibus vsi sumus, cùm propositiones de necessariò, & inesse verteremus, equus ex necessitate non inest homini: hæc enim propositio vera est, necesse est nullum hominẽ esse equum, album verò inest tunicæ nõ ex necessitate: nam hæc propositio tunica est alba, non est necessaria.

† Quæcunque verò vt in pluribus, & in eo quòd nata sunt contingere dicuntur, secundum quem modum determinamus contingens, non similiter se habebit in priuatiuis cõuersionibus.

¶ Tribus modis dixerat paulò superiùs accipi contingens, pro necessario, & non necessario siue inexistenti, & pro possibili. Qua ratione propositiones, in quibus duobus prioribus modis vsurpatur contingens: siue asserentes sint, siue negantes, conuertantur, docuit hactenus Aristotel. hoc loco rationem docet conuertendi priuatiuas propositiones de contingenti, quando

accipitur pro posibili: sed quoniam hac significatione tribus adhuc modis contingens dicitur, neque omnes illi ad ratiocinationem conficiendam spectant, admonet prius, qua significatione sumatur, cùm pertinet ad syllogismum: contingens ergo, quãdo accipitur pro posibili, tribus modis dicitur: quoddam enim est contingens magna ex parte, in quo ars ipsa & natura versantur, aliud rarò, quod casu fit, quod infinitum vocat Arist. cap. 12. aliud verò ad vtrunuis contingens dicitur, quoniam fieri potest, & potest non fieri: huiusmodi sunt ea, quæ posita sunt in hominum potestate: de quibus contingentis significationibus Arist. mentionem fecit in lib. peri hermenias capite de futuris contingentibus, & cap. 12. huius libri. Horum contingentium pro posibili, quod æqualiter contingens dicitur, & quod rarò, nullo modo ad syllogismum pertinet, vt ipse refert paulò inferius illis verbis. Disciplina autem vel syllogismus demonstratiuus ex indefinitis quidem nõ est, eò quòd inordinatum est mediũ. Quod primo modo contingens dicitur, hoc est magna ex parte contingens (quod Aristo. in præsentia vocat contingens in pluribus & in eo, quod natum est, quia versatur in rebus naturalibus: siquidem ab arte vel a natura, vt diximus pendet) proculdubio ad syllogismum conficiendum pertinet, vt idem Aristote. refert loco citato illis verbis, Ex his verò, quæ nata sunt esse penè orationes, & considerationes fiunt de sic contingentibus: hac igitur significatione accipitur in præsentia contingens, non vt vulgò existimatur, pro contingenti æqualiter aut ad vtrunuis, vt constat his Aristotel. verbis, Quæcunque verò vt in pluribus, & in eo, quòd nata sunt, dicuntur contingere, secundum quem modum determinamus contingens, hoc est, secundum quam significationem vsurpamus hoc loco contingens. Inquit ergo Aristoteles, quod propositiones negantes de contingenti vt in pluribus, & quod natum est, non conuertuntur, quemadmodum cæteræ vniuersales propositiones negantes, sed longè alio modo, quo autem modo ipse docet illis verbis.

† Sed & vniuersalis quidem priuatiua propositio non conuertitur: particularis verò conuertitur.

‖ Hæc enim propositio, contingit nullũ b esse a, non cõuertitur in hanc, contingit nullũ a esse b: hæc verò contingit aliquod b non

b non esse a, in istam reciprocatur, contingit aliquod a nõ esse b: si roget aliquis rationem cur ita sit Arist. respondet.

† Hoc autẽ erit manifestum, quando de contingenti dicemus.

‖ Reddit autem huius rei rationem Aristot. quo loco de mixtionibus disserit, capite videlicet duodecimo, libri primi.

Ne tamen omnino nullam videretur rationem reddidisse, cur ita sit, subiungit, quæ causa sit, propter quam hoc ita accidat, cũ inquit.

† Nunc autem nobis tantùm sit cum his, quæ dicta sunt, manifestum, quoniam contingere nulli, aut alicui non inesse, affirmatiuam habet figuram: nam & contingit ipsi, est, similiter ordinatur, est autem, quibuscunque adiacens prædicatur, affirmationem semper facit, & omnino, vt est non bonum, vel est non album, vel simpliciter est non hoc: ostenditur autem & hoc per sequentia. Secundum conuersiones autem similiter se habebunt in alijs.

‖ Causa ergo cur nõ cõuertatur vniuersalis negans in se ipsam ea est, quia quando contingens non afficitur negatione, etiam si addatur verbo negatio, propositio est vniuersalis affirmatiua: hæc enim propositio, contingit nullum b esse a, affirmatiua propositio est, quoniam, vt refert Aristot. coutingit est idem, quod est: sed nisi verbo, est, addatur negatio non efficitur propositio negatiua: semper enim verbum est omni tẽpore, & omnino, id est, in quacunque materia facit affirtionem: hæc enim propositio affirmatiua est, est non bonum, est non album, est non hoc, licet negatio addatur nomini, eam tantùm ob causam, quòd verbum, est, vacat negatione: ergo nisi verbo contingit, aut eius participio, vel aduerbio addatur negatio, affirmatiuam efficiet figuram propositionis: propositio ergo vniuersalis negans, in qua contingens non negatur, affirmatiua est, ergo non conuertitur in se ipsam, probo consequentiã, quoniã si hoc verũ esset, propositio vniuersalis asserens, cui illa est æqualis, in terminis conuerteretur, quod absurdum est sanè. Propositio autem particularis negans, quia æqualis est particulari asserenti, quæ in se ipsam conuertitur, conuertetur etiam in particularem.

Quod autem inquit, ostendetur autem & hoc per sequentia, ad illud referendum est, affirmationes (inquã) esse & non negationes

tiones illas, in quibus contingens non afficitur negatione, quam ob rem conuersiones istarum propositionum similiter se habebunt, vt conuersiones vniuersalis & particularis asserentis. Rationem verò, cur negatio contingens, id est, propositio illa in qua contingens vacat negatione, sed illa additur ad verbum, non cum negatur contingens, quia hæc ab Aristotele vocatur contingentis negatio, affirmatiuam figuram habeat, Aristote. refert cap. 12. huius libri his verbis, Quia enim contingens non est necessarium, inquit Aristote. non necessarium verò contingit non inesse, planum quod si contingit, a inesse b, contingit etiam non inesse: & si omni contingit inesse, omni contingit non inesse: similiter autem & in affirmationibus in parte, nanque eadem demonstratio: verum tales propositiones affirmatiuæ sunt, nō negatiuæ, contingit enim ad similitudinem ipsius esse ordinatur, quemadmodum dictum est prius.

Argumentum cap. quarti.

IN præsenti capite Aristo. mens est docere quænam sit forma syllogistica in prima figura, & quot, & qui modi efficiantur syllogistici, hoc est rectam formā seruantes, atq; vtiles, id est, colligentes conclusionem aliquam in eadem figura.

¶ Caput quartum.

HIs verò determinatis, dicemus iam per quæ, & quando, & quomodo fit omnis syllogismus.

‖ Hactenus explicuit Aristo. ea quæ necessaria esse videbantur ad intelligendum, atque explicandum alijs qua ratione conficiendus sit syllogismus, ea sunt terminus, propositio, syllogismus, perfectus & imperfectus, quibus sanè vocibus sæpenumero Aristot. vtitur in syllogismorum expositione. Vtitur in præsentia quadam transitione, vt quæ explanata sunt rectius cohæreant cū his quæ post paulo est traditurus, hæc ab Aristotele connumerantur cum, inquit.

Dicemus iam, in posterum inquam, per quæ fiat omnis syllogismus: quibus verbis innuit materiam syllogismi, tres in quam terminos

terminos & duas propositiones (quando) hoc est, in qua figura, & quomodo, id est per quos modos cuiusq; figuræ: hæc vbi dixit respondet cuidam obiectioni, illis verbis.

† Postea verò dicendum de demonstratione. Prius enim de syllogismo dicendum, quàm de demonstratione, eò quòd vniuersalior est syllogismus: nam demonstratio quidē syllogismus quidam est, syllogismus verò non omnis demonstratio.

‖ Posset enim quispiam dubitare & quærere, quo pacto verum est quod initio cap. primi dictum est, propositum inquam esse, agere de demonstratione & de disciplina demonstratiua: si vniuersis his duobus libris ne vnum quidem verbum de demonstratione scriptum est? Respondet Aristot. agendum quidem esse de demonstratione, cæterum non in his duobus libris sed in duobus alijs qui consequuntur & appellātur de posteriori resolutione: rationem illam reddit, quia oportet prius agere de syllogismo quàm de demonstratione. Hoc probat, quoniam syllogismus communior est quàm demonstratio: nam demōstratio est quidam syllogismus, & syllogismus quodammodo genus demonstrationis est, oportet autem prius explicare quæ communiora sunt, ac proinde notiora, vt ab his ad minus communia & minus nota expeditius contendamus. Vbi verò Aristote. hæc præfatus est pergit explicare figuras syllogismorum, & modos singularum figurarum, exordium sumens a prima figura. Vt autē quæ dicturus est apertiora euadant, necesse est pauca prius explicare, ne postea cogamur inceptam disputationem abrumpere. Primum est, quòd cùm omnis syllogismus de problemate habeatur, & omne problema subiecto constet & prædicato. est enim propositio cuius prædicatum interrogamus vtrum insit subiecto (vt cùm inquirimus, vtrum pigmęi sint homines? Vtrum mundus prouidentia regatur? Necessarius est tertius terminus, qui duos illos quibus problema efficitur, aut iungat inter se aut separet, huiusmodi terminus, medius terminus vocatur.

Medium enim est terminus qui bis sumitur ante conclusionē, & cuius gratia in conclusione vel iunguntur extrema vel separantur.

Extremorum, aliud vocatur maius extremum, aliud minus.

Maius extremum, est terminus qui ponitur in maiori cū medio,

dio, & est attributum aut prædicatum problematis.

Minus extremũ est, terminus qui ponitur in maiori cũ medio & est subiectũ problematis. Mediũ alio nomine dignitas vocatur, maius extremũ quæsitum, minus extremũ, datum: quorum vocabulorum rationem reddidimus in compendio dialecticæ.

Ex tribus istis terminis, maiori, minori, & medio, figura efficitur quæ est altera pars formæ syllogismi.

Materia enim syllogismi sunt, termini & propositiones: forma verò est, legitima propositionũ collocatio, & recta terminorum diméſio, cuius duæ sunt partes figura videlicet atq; modus.

Figura vulgò ita definitur. Debita dispositio trium terminorũ habita ratione prædicati & subiecti. Sed quoniã figura potissimũ medio termino efficitur, satius erit illã hoc pacto explicare.

Figura est argumenti vel medij collocatio.

Nomen verò figuræ, vt nomen termini à geometris translatũ est ab Aristotele, vt enim illi puncta terminos vocant, quia sunt rerum extrema, lineam vocant, interuallum, quia in ea aliqua distantia termini separantur, figuram verò, quæ lineis atq; punctis constat: sic Aristo. extrema propositionis subiectum inquam & prædicatum vocat terminos, quia finiũt propositionem: ipsam verò propositionem interuallum nominat, quia eius termini aliquo spatio dirimuntur: postremò ordinem & collocationẽ trium terminorum & duarũ propositionum, maioris inquam & minoris propositionis nuncupat Arist. figuram, à se primùm vocabulis translatis ad dialecticam ex geometria: cuius rei index est, ipsa phrasis atq; ratio loquendi. Nam cùm de termino loquitur terminum (inquit) voco. Item cùm primum figuræ mentionem facit: figuram, ait, huiusmodi voco primam. Ex collocatione verò atq; ordine trium terminorũ, triplex figura efficitur, prima videlicet secunda, & tertia. Aut enim medius terminus prædicatum est in maiori & minori propositione, & est secunda figura: aut subiectum in vtraque & est tertia, aut in altera subiectũ est, in altera prædicatum, & est prima.

Sed obijciet aliquis. Est præter tres istas quarta quoq; figura, ergo falsum est quod diximus, tres duntaxat figuras esse, consequentia manifesta est, & antecedens probatur: primum quidem Galeni præstantissimi philosophi testimonio, qui quartam cõcedit figuram. Deinde ratione, nam aut medium est subiectum maioris & prædicatum minoris, & est prima, aut prædicatum maioris & subiectum minoris & est quarta.

Exemplo hoc etiam constat quoniã iste syllogismus in nulla trium figurarum effectus est.

Omne rationis particeps est homo,
Omnis homo est aptus ad ridendum,
Ergo omne rationale est aptum ad ridendum.

Verùm hanc obiectionem diluere nullum est negotium, non enim negamus quatuor prædictis modis collocari posse mediũ terminum, licet autem quadruplex collocatio termini medij, sit triplex a nobis statuitur figura: quoniam iuxta sententiam Aristotelis quarta illa dispositio medij diuersam figuram non facit. Nam aut in illa figura oportet colligere problema aliquod determinatum & in quo seruetur recta ratio prædicati, aut non oportet vt vlla recta & naturalis ratio prædicandi seruetur: si est seruanda recta prædicandi ratio, quarta figura, figura non est, quia semper in conclusione aut inferius de superiori, aut subsũtia de accidenti, aut accidens prædicatur de accidenti, vt exemplo proposito constat: & constare potest in quibusuis alijs syllogismis, qui conficientur in eadem figura, hoc autem est obliquè prædicari. Quod si id nihil vetat quo minus figura cẽseatur, proculdubio ad primam referetur figuram: non enim debet variari figura, quia maior & minor ordine tantum differunt, cùm medium eundem situm teneat. Subijcitur enim in vna propositione & in altera prædicatur, nihil autem prohibet siue in maiori, siue in minori prædicetur vel subijciatur. Deinde obijciet aliqs, vna tantũ figura satis est, nẽpe prima, ergo frustra ponit Aristo. tres figuras. Antecedens patet, quia illa est optima & præstãtissima. Deinde, qa in eadẽ colligitur oẽ genus problematis, vniuersale, particulare, asserẽs, negans. Dicendũ est ad cõpositionẽ vnã figurã esse satis, ad resolutionẽ verò minimè: quia nõ semp licet inuenire mediũ terminũ, quo fiat resolutio cuiusuis propositionis, cuius argumẽtũ querimus. Vel dicamus verũ esse in vniuersũ colligi quoduis genº, at nõ potest cuiusuis generis quæuis forma ꝓpositiõis colligi. Vel etiã dicamº, ꝙ tametsi oẽ genº ꝓpositiõis colligat̃ i prima figura, cętera ꝑtinẽt ad copiã & abũdãtiã.

Cùm

Cùm sint autem tres tantum (vt ostendimus) syllogismorum figuræ, prima secunda atque tertia, quæstio est quo ordine illæ sint collocandæ, & quæ ratio est, cur vna prima, altera secunda, alia tertia vocetur.

Aristoteles primam vocat illam figuram in qua medium subiectum est in maiori propositione & prædicatū in minori, quoniam illa omnium optima est atque etiam præstātissima, quod multis argumentis conuincitur. Vnum est, quia medium vnde sumitur distinctio figurarum, in hac ipsa figura maximè habet rationem medij. Siquidem medium est, vi copulandi, atqꝫ etiā situ, quod non contingit in vlla aliarum duarum figurarum. Deinde omnes qui perfecti sunt syllogismi in hac figura efficiuntur, in secunda verò & tertia figura, nullus est perfectus syllogismus, sed perficiuntur per primam, vt alio loco monstrauimus. Tertiò, quia cæteræ figuræ procreantur a prima figura. Secunda quidem per conuersionem maioris, tertia per conuersionem minoris propositionis. Quartò in hac figura colligitur omne genus problematis, vniuersale, particulare, asserens negans, hoc verò non contingit in secunda neque in tertia figura. Postremò ex vsu, nam cum syllogismi sint in triplici differentia, alij demōstratiui, alij dialectici, alij sophistici, hæc figura demonstrationibus efficiendis maximè accōmodatur quia colligit vniuersale asserens, quod non euenit in vlla aliarum figurarum. Secunda figura accommodatur dialectico cuius munus est destruere aliquam sententiam. Tertia verò figura sophistico syllogismo cōficiendo seruit. Nam sophistarum illud est peculiare particularibus interrogationibus decipere respondentem.

Illa verò figura in qua medium prædicatum est in vtraque propositione secunda vocatur, quoniam præstantior est altera, in qua medium subijcitur. Primū quia satius est prædicari medium quam subijci, atqui in secunda figura prædicatur, in tertia minimè. Deinde exortu ipsarum figurarum, nam secunda fit maiori conuersa, tertia minori, nobilior autem est maior propositio quam minor. Postremò, ex vsum, nam quemadmodum dixi, secunda seruit dialectico, tertia maximè sophistæ vtuntur. Hæc de ordine dignitate atque præstantia figurarum. Iam ad cætera properemus. Ad formam syllogismi (vt diximus) non solùm

solùm spectat figura, sed etiam modus, quem Græci syxygian, nos complicationem aut coniugationē vocamus, & vulgò propositionum combinatio appellatur, is autem sic finiri solet.

Modus est, debita dispositio maioris & minoris propositionis. Hæc vero dispositio ex affirmatione & negatione, vniuersali & particulari, sumitur: nam ex his efficitur modus, & secundū hæc ipsa fit variatio atque distinctio modorum. Singularum autem figurarum plures sunt modi, vt suo loco & tempore ostendemus.

Singularum autem figurarum quædam propria sunt, alia cōmunia omnium, quæ antequam alio properemus explanare necesse est. Quanquam bonam istorum omnium partem nos persecuti sumus, quinto libro summæ: sed oportet hæc ipsa ad manus habere, & in numerato, quod dicitur, communia omniū trium figurarum.

Primū omnium illud oportet obseruare diligenter ne in ratiocinatione aut syllogismo plures quam tres termini existant, maius inquam extremum, minus, atque medium: vbicunque enim plures fuerint, vitiosus syllogismus est, & argumentari dicimur in quatuor terminis. Tunc enim medium non habet medij rationem, quia semel tantum ponitur antequam conclusio colligatur, aut vnum extremum de altero nō dicitur, quod euertit prorsus formam syllogismi.

Deinde cauendū est ne admittamus vllum nomen ambiguū, ratio est quia ambigua significatio vnius termini quartum ingeret terminum. verbi gratia.

Omnis canis latrat,
Sydus canis est.
Sydus ergo latrat.

Canis enim ambiguum nomen est.

Tertiò in omni figura vitiosus est syllogismus cuius medium in vtraque propositione maiori inquam & minori non distribuitur, verbi gratia.

Poēte lasciui sunt,
Prudentius poēta,
Ergo lasciuus.

Hoc vbi accidit dicimur vulgò argumentari ex puris particu-

laribus, quanquam vbi propositio vtraque particularis est simpliciter ex puris particularibus colligimus, vbi verò vtraque vel altera est singularis (sed medium commune est, at non distribuitur) argumentamur ex puris particularibus ratione medij. verbi gratia.

Philosophus aliquis est Plato,
Aristoteles philosophus est,
Ergo Aristoteles est Plato.

Quartò vbi vtraque ꝓpositio negat, vitiosus est syllogismus. v.g.

Nullus lapis animal est,
Nullus homo lapis,
Ergo nullus homo est animal.

Quintò vbi maior aut minor propositio est particularis, conclusionem oportet esse particularem, aliò qui vitiosus erit syllogismus. v.g.

Omne animal est corpus,
Aliqua substantia est animal,
Ergo omnis substantia corpus.

Sextò vbi maior aut minor est negans: conclusionem oportet esse negantem, nam si asserat vitiosus erit syllogismus. v.g.

Nullum animal est lapis,
Homo animal est,
Ergo homo est lapis.

Vtriusque præcepti illa ratio est quòd effectus non debet præstantior esse quam eius causa: si verò præcepta non seruentur, effectus præstantior quam causa erit, nam conclusionem efficit antecedens, & vniuersale præstantius est particulari, & affirmatio negatione.

Septimò medium non est collocandum in conclusione, quia si id fiat peruerteturratio conficiendi syllogismum. Hæc omnia facilè deprehendi possunt & vitari si animum tantisper aduertamus.

Illa verò cauebuntur, si medium in maiori aut minori propositione distribuatur, & nullus terminus distribuatur in cõclusione, qui non fuerit distributus in maiori vel minori propositione.

In prima verò figura de qua nobis in præsentia sermo est, duo oportet obseruare: vnum est, ne minor propositio neget, nam si neget

neget vitiosus est syllogismus. v.g.

Omne animal est substantia,
Nulla arbor est animal,
Ergo nulla arbor est substantia.

Distribuitur maius extremũ in conclusione & non in maiori.

Alterum est, ex maiori propositione particulari nihil colligitur in prima figura, si syllogismus rectè colligat, hoc est, in cõclusione prædicetur maius extremum de minori. v.g.

Aliquod animal est homo,
Omnis leo est animal,
Ergo aliquis leo est homo.

Ratio est quia medium nullibi distribuitur: obliquè autẽ vbi colligitur (hoc est minus extremum prædicatur de maiori in cõclusione) optimus est syllogismus. His vtcunq; explanatis, quæ necessaria sunt ad cætera intelligẽda, reuertamur eo vnde digressi sumus, & sententiam Aristotelis interpretemur, longè enim planior erit, hæc si nouerimus.

† Quando igitur tres termini sic se habent adinuicem, vt & postremus sit in toto medio, medius in toto primo vel sit, vel non sit, necesse est extremitatum perfectum fieri syllogismum.

‖ Aristote. his verbis tradit nobis descriptionem primæ figuræ in qua, vt diximus, medium in maiori propositione subiectũ est, & in minori prædicatum: & quoniam modorum, aut coniugationum quædam vniuersales sunt, cum, inquam, vtraque propositio vniuersalis est, aliæ particulares cũ vel maior vel minor est particularis, prius tradit Aristotelis coniugationes vniuersales quam particulares: sunt enim præstantiores, vt diximus. Præterea, quoniam earum quædam vtiles sunt, illę videlicet ex quibus conclusio aliqua determinata colligitur, asserens, inquam, aut negans, aliæ verò inutiles, sunt autem illæ ex quibus nihil determinatum colligitur, vtrunque genus coniugationum refert Arist. in singulis tribus figuris.

Considerandum tamen est, vt sensum obscurorum verborum quibus Aristo. in explicandis figuris vsus est, intelligamus, quòd postremum terminum appellat minus extremum: primum, maius extremum.

Deinde, vnum terminum esse in toto alio, in propositione vniuersali asserente: non esse in toto alio, prædicari in propositione vniuersali negante.

Tertiò, postremum terminum esse in toto medio, est minus extremū esse subiectum in minori propositione vniuersali asserente, nā in prima figura mediū prędicatur in minori, de minori extremo. Mediū autē esse vel nō esse in toto primo, est mediū terminū in maiori propositione siue vniuersali asserēte, siue vniuersali negante, subiectum esse respectu maioris extremi. Nā in prima figura maius extremum in maiori propositione de medio prædicatur. Hæc si intelligamus, aperta erit sententia Aristotel. hoc loco, modò meminerimus duas duntaxat coniugationes vniuersales vtiles comprehendi eisdem verbis. Quando enim maior & minor propositio sunt vniuersales asserentes, aut maior vniuersalis negans, minor vniuersalis asserens, fit perfectus syllogismus in prima figura: quoniam in prima tantū figura efficitur perfectus syllogismus, vt alio loco dicemus.

Deinde definit Aristote. tres terminos, quibus constat syllogismus, & incipit a medio, quoniam in syllogismo principem locum medius terminus obtinet: ab eo enim robur accipit ratiocinatio.

† Voco autem medium, quod & ipsum in alio, & aliud in ipso, & positione medium est.

‖ Potuit ille quidem medium vniuersum ea discriptione explicare, quod bis ponitur ante conclusionem, hoc enim maximè proprium medij est, sed vt oratio minus haberet obscuritatis his verbis solum complexus est medium terminum primæ figuræ. Huic duo insunt, primùm vt sit in alio, & aliud in ipso, hoc est, in vna propositione subiectum sit, nempe in maiori, in altera (hoc est minori) sit prædicatum. Alterum est, vt sit medium positione, hoc est, situ & collocatione. Habet enim veram medij rationem: vnde cùm Aristote. elementa accipit, quibus in prima figura syllogismum efficiat: verbi gratia a b c medio loco collocat medium, nempe b, maius extremum primo loco, quod ideo primum vocat, nempe a, minus extremum postremò, quod ob eam sanè rationem postremum appellat.

† Exttemum

† Extremum, quod & ipsum in alio, & in quo aliud est.

‖ His verbis vtrunque extremum complexus est, maius inquā & minus.

Sed obijciet aliquis fortasse, eandem esse medij & extremorū (vt apparet) descriptionem. At qui non est eadem, tametsi eadē esse videatur: nam esse in alio & aliud in ipso, simul inest medio. Altera extremorum finitio diuidenda est & singulis extremis singulæ eius partes aptandæ. Vnum enim extremum in alio est, minus inquam in medio, in minori propositione: in alio verò extremo, hoc est, in maiori, aliud est nempe medium. Adhibet statim Aristot. exemplum vtriusque coniugationis vniuersalis atq; vtilis in prima figura, exorsus ab asserente, cùm inquit.

† Si enim a de omni b, & b de omni c, necesse est a de omni c prædicari.

‖ Hocmodo Omne b est a,
Omne c est b,
Ergo omne c est a.

Probat autem istam ratiocinationem esse legitimā illis verbis.

† Prius enim dictum est, quomodo de omni dicimus.

‖ Capite siquidem primo admonuimus, syllogismum perfectum asserentem inde vim atque robur accipere, quòd in eo de omni dicatur: quo loco nos exposuimus qua ratione illud principium ratiocinationi accommodari debeat. Exemplum syllogismi primæ figuræ vniuersalis priuatiui illis verbis tradit Aristoteles.

† Similiter autem & si a de nullo b, b autem de omni c, quoniam a nulli c, inerit: hocmodo.

Nullum b est a,
Omne c est b,
Ergo nullum c est a.

‖ Non indicat autem Aristo. vnde vim sumat huiusmodi priuatiua ratiocinatio, quoniam facilè erat illud intelligere, cum enim contrariorum principia contraria sint, si syllogismus asserens inde vim sumit quòd in eo dicitur de omni, syllogismus priuatiuus efficax erit, quia in eo de nullo dicitur. Ex his quæ dixit Aristote. apertè constat necessariū fuisse prius vt explicaremus istas voces alterum esse in altero, vel nō esse: & de omni aut nul-

 lo dici

lo dici, aliò qui non possemus exactè intelligere istum locũ Aristote. atque etiam multos alios.

Verùm anteaquam vlterius procedamus inquirendũ est quid causæ sit cur Aristot. in conficiendis syllogismis elementis vtatur, non sumat voces significantes? Hoc enim plerosque malè torsit, atq; eo nomine cùm causam non satis intelligerent philosophum increpauerunt, inter quos ego refero Petrum Ramum virum quidem præcipitis iudicij & scurrilis maledicẽtiæ, in lib. animaduersionum in Aristo. præterea etiã Abdomarum Taleũ ex eodem ouo prognatum, farinæ eiusdem, & consecraneum, in prælectionibus quas fecit institutionibus dialecticis Rami. Hoc autem factum est ab Aristotele multis rationibus, vna est breuitatis maioris causa.

Altera, vt laborem & molestiam detraheret exempla explorandi, si ab autoribus caperentur, his enim vtitur quæ omnibus nota atque aperta sunt.

Tertia ratio est, quoniam cùm de syllogismo in genere, atque ad nullam materiam contracto ageret, illis exemplis vti debuit, ex quibus syllogismi per se atque in genere sumpti natura perspiceretur, quod est assequutus, vice exemplorum elemẽtis vtens.

Quarta ratio est vt planè constaret vim syllogismi non ex materia sed ex forma potiùs & dispositione propositionum pendere. Hæ sunt rationes quæ Aristotelem mouere potuerunt, vt in explicanda natura syllogismi elementis vteretur.

† Si autem primum quidem omni medio consequens est, medio verò nulli postremo, non erit syllogismus extremitatum.

‖ Vbi Aristote. modos vniuersales vtiles qui in prima efficiũtur figura explicuit, tradit etiam modos vniuersales inutiles qui efficiuntur in eadem, sunt illi duo. Primus est, cùm maior est vniuersalis asserens, minor vniuersalis priuans, quod superioribus verbis Aristo. significauit. Secundus est, cùm vtraque propositio est vniuersalis negans, quod dicet paulò inferiùs.

Sed dicet quispiam qua ratione constare poterit inutilem esse hanc coniugationem propositionum? Illud sanè duobus modis probari potest, vna ratio est quia in simili dispositione aliquod vitium inest eorum quæ initio commentariorum in istud caput retulimus.

retulimus. Cùm enim maior est asserens, minor propositio negat, maius extremum distribuitur in conclusione, non distribuitur in antecedenti, quare ex particulari colligimus vniuersale: quod nullo pacto licet. Vel (vt dicitur vulgo) argumentamur à non distributo ad distributum, quod idem omnino est: verùm istam rationem non est Aristo. sequutus.

Altera ratio probãdi ineptam illam esse dispositionem ea est, vt sophistæ loquuntur, quia dantur termini, in quibus omni, & in quibus nulli. Dare autem terminos omni inesse, est dare vniuersalem aliquam propositionem asserentẽ quæ sit vera simul cùm maiori & minori. Dare terminos nulli inesse, est dare vniuersalem propositionem negantem quæ simul cum maiori & minori propositione vera sit.

Atqui dicet aliquis, nunquid hoc absurdum est? Est sanè maximè absurdum, quòd sit legitima dispositio duarũ propositionum, & ex ea omne & nullum sequatur. Iam enim idẽ esset causa duorum contrariorum, & contradictoriorum, hoc autem est impossibile, quoniam contrariorum contrariæ sunt causæ. Omne enim & nullum contraria sunt: quamobrem non est syllogismus ille, ex quo sequitur omne, & nullum, ratio est.

† Nihil enim necessarium accidit, eò quòd hæc sunt.

‖ Hoc est, ex dispositione duarum propositionum vt Aristot. refert.

† Nam & omni, & nulli, contingit primum postremo inesse.

‖ Hoc est, dantur termini vt omni & nulli: vnde inquit.

† Quare neque particulare, neque vniuersale fit necessarium. Cùm autem nihil est necessarium, per hæc non erit syllogismus.

‖ Hoc est, neq; sequitur conclusio particularis neq; vniuersalis: nam si sequitur omne, sequitur aliquod, & si nullum, aliquod non, quare omnia sequuntur, & non aliquod determinatum genus propositionum, quod erat sanè necessarium. Imò verò nihil omnino colligitur, nam si sequitur nullum, neque omne, neq; aliquod sequitur, nam nullum omne & aliquod interimit. Et si sequitur omne, neque aliquod non, neque nullum consequitur, quia vtrunque omni interimitur. Quare ille modus prorsus est inutilis, quia nihil omnino colligit, sed dicet fortasse quispiã, nõ sequi duo contraria, siquidem omne & nullum non colliguntur

ex eisdem terminis sed ex diuersis potius, vt constat ex Aristotelis verbis atque exemplis. Ad hoc tamen dicendum est in præsentia de oppositorum forma loqui, non de materia, atqui forma cōtrariorum est omne & nullum quæ colligitur ex ea dispositione terminorum quam diximus, atque id satis est.

Probat Aristotel. exemplo quod primo loco dixerat sic inquiens.

† Termini verò eius quod est omni inesse, animal, homo, equus, sic.

‖ Omnis homo est animal,
Nullus equus est homo,
Omnis equus est animal.

† Eius verò quod est nulli, animal, homo, lapis.

‖ Id est, termini in quibus nulli, animal, homo, lapis.

Omnis homo est animal,
Nullus lapis est homo,
Et nullus lapis est animal.

† Quando verò nec primum medio, nec medium postremo vlli inest, nec sic erit syllogismus.

‖ Id est, quando vtraque propositio est vniuersalis negans.

† Termini verò vt inesse, scientia, linea, medicina.

‖ Nulla linea est scientia,
Nulla medicina est linea,
Et omnis medicina est scientia.

† Vt non inesse, scientia, linea, vnitas.

‖ Nulla linea est scientia,
Nulla vnitas est linea,
Et nulla vnitas est scientia.

Hæc vbi dixit, colligit Aristo. veluti correlarium.

† Vniuersalibus igitur existentibus terminis, manifestum est in hac figura quando erit & quando non erit syllogismus.

‖ Id est, quando propositio vtraque vniuersalis est, subiungit.

† Et quoniam cùm est syllogismus, necessarium est terminos sic se habere, vt diximus.

‖ Manifestum inquam est adijcit.

† Et si sic se habent, manifestum, quoniam erit syllogismus.

‖ Explicatis modis omnino vniuersalibus, siue vtiles illi sint, siue

siue inutiles, & indicatis vtilibus, atque his separatis ab inutilib°, studet explicare modos particulares. Quoniam verò hi sunt in duplici differentia, quidam omnino speciales aut particulares, qui constant vtraque parte antecedentis particulari, alij qui partim vniuersales sunt, partim particulares: constant enim altera parte vniuersali, particulari altera. De posteriori isto genere prius disserit quam de priori, quoniam magis accedit ad vniuersale, cui debetur princeps locus. Enumerat ergo coniugationes vtiles quæ efficiuntur in prima figura, quando altera tantū pars antecedentis est vniuersalis, & illas ab inutilibus separat. Duæ verò tantùm sunt combinationes vtiles, quæ fiunt in prima figura, cùm altera propositio vniuersalis est, particularis altera. Prima est, quando minor est particularis asserens, maior vniuersalis siue asserens siue negans. exemplum primi.

Omne b est a,
Aliquod c est b,
Ergo aliquod c est a.

Valet consequentia, quoniam vt vniuersalis ratiocinatio atque asserens in prima figura exploratur, ad illud principium dici de omni, sic particularis quæ sub illa vniuersali ponitur. exemplum secundi,

Nullum b est a,
Aliquod c est b,
Ergo aliquod c non est a.

Nam in isto syllogismo sicut in vniuersali priuatiuo de nullo dicitur. Quoniam verò, neque extrema, neque medium finierat hoc ipsum facit in præsentia dicens.

† Dico maiorem extremitatem, in qua medium est.

‖ Id est, quæ prædicatur de medio.

† Minorem verò, quæ sub medio est.

‖ Hoc est, de qua medium prædicatur. Hæc autem quæ diximus, his verbis significat Aristo.

† Si autem hic quidem terminorum vniuersaliter, alius verò particulariter ad alium, quando vniuersale quidem ponitur ad maiorem extremitatem vel prædicatiuum, vel priuatiuum, particulare verò ad minorem prædicatiuum, necesse est syllogismū esse perfectum. Quando verò ad minorem, vel quolibet modo

aliter se habeant termini, impossibile est. Dico autem maorē extremitatem quidem in qua medium est: minorem verò, quæ sub medio est. Insit enim a quidem omni b, b autem alicui c: ergo si est de omni prædicari, quod in principio dictum est, necesse est a alicui c inesse: & si a quidem nulli b inest, b verò alicui c, necesse est a alicui c non inesse: determinatum est enim & de nullo, quomodo dicimus, quare erit syllogismus perfectus. Similiter autem, & si indefinitū sit b c prædicatiuum: nam idem erit syllogismus indefinito & particulari sumpto.

‖ Vnū tamen admonet, quòd nihil vetat c b prædicatiuum, id est, minorem propositionem quæ ex illis constat, particularem aut indefinitam esse, quod enim ad syllogismum spectat eadem sanè ratio est particularis atq; indefinitæ propositionis.

† Si autem ad minorem extremitatem vniuersale ponatur, vel prædicatiuum, vel priuatiuū, non erit syllogismus, neque cum affirmatiua, neq; negatiua, neque indefinita, neque particularis sit: vt si a quidem alicui b inest, vel non inest, b autem omni c inest. Termini vt inesse, bonum, habitus, prudentia: vt non inesse, bonum, habitus, indisciplina. Rursum si b quidem nulli c, a verò alicui b inest, vel non inest, vel non omni inest, nec sic erit syllogismus. Termini omni inesse, album, equus, cygnus: nulli inesse, album, equus, coruus. Idem autem & si a b indefinitum sit.

‖ His verbis explicat combinationes quæ efficiuntur quando minor propositio est vniuersalis, maior particularis, quatuor nanque fiunt, omnes tamen sunt inutiles. Aut enim minor est vniuersalis asserens, maior est particularis asserens vel negans. Dantur termini in quibus omni, bonum, habitus, prudentia, vel disciplina.

Aliquis habitus est bonus, vel
Aliquis habitus non est bonus,
Omnis disciplina est habitus,
Et omnis disciplina est bonum. Et in quibus nulli, bonum, habitus, indisciplina:
Aliquis habitus est bonus, vel
Aliquis habitus non est bonus,
Omnis indisciplina est habitus,

Et

Et nulla indisciplina est bonum.

Aut minor est vniuersalis negans, maior particularis asserens vel negans, & sunt etiam inutiles coniugationes. Termini omni inesse, album, equus, cygnus.

Aliquis equus est albus, vel
Aliquis equus non est albus,
Nullus cygnus est equus:
Omnis cygnus est albus.

Nulli inesse, album, equus, coruus.

Aliquis equus est albus, vel non est albus,
Nullus coruus est equus,
Nullus coruus est albus.

† Nec quādo ad maorē extremitatē quidem vniuersale ponatur, vel prædicatiuū, vel priuatiuum, ad minorē verò particulare priuatiuū, nō erit syllogismus vel indefinito, vel particulari sumpto. Velut si a quidē omni b inest, b autē alicui c nō inest, vel non omni inest. Cui enim alicui nō inest mediū, hoc omne & nullū sequatur primum. Ponantur enim termini animal, homo, albū: deinde & de quibus albis non prædicatur homo sumantur cygnus & nix: ergo animal de vno quidem omni prædicatur, de altero verō nullo: quare nō erit syllogismus. Rursum a quidē nulli b insit, b autem alicui c nō insit, & sint termini inanimatum, homo, album: deinde sumantur alba, de quibus non prædicatur homo, cygnus & nix: nam inanimatum de hoc quidem omni prædicatur, de illo verò nullo. Amplius, quoniam indefinitū est alicui eorum quæ sunt c, non inesse b, verum est autem, & nulli inest, & si non omni, quoniam alicui non inest: sumptis autem his terminis velut nulli inesse, non fit syllogismus (hoc enim dictum est prius) manifestum ergo est, quoniam in eo quod sic se habent termini, nō erit syllogismus: esset enim & in his. Similiter autē ostēdetur, & si vniuersale ponatur priuatiuum. Neq; enim si ambo interualla particularia prędicatiuè, vel priuatiuè: aut hoc quidem prædicatiuum, illud verò priuatiuum: vel hoc quidem indefinitum, illud verò definitum, vel ambo indefinita: non erit syllogismus vllo modo. Termini verò communes omnium, animal, album, equus: animal, album, lapis.

‖ His

¶ His verbis exponit duas alias coniugationes inutiles, cùm (inquam) minor propositio est particularis priuans: aut enim maior est vniuersalis asserens aut negans, & vtraque complicatio inutilis est. Termini omni inesse, cùm maior est vniuersalis asserens, animal, homo, cygnus.

Omnis homo est animal,
Aliquis cygnus non est homo:
Et omnis cygnus est animal.

Termini nulli inesse, animal, homo, nix.

Omnis homo est animal,
Aliqua nix non est homo:
Et nulla nix est animal.

Quando maior est vniuersalis, minor particularis negans,
Termini inesse, inanimatum, homo, nix,

Nullus homo est inanimatus,
Aliqua nix non est homo:
Et omnis nix est inanimatum.

Termini verò nulli inesse inanimatum, homo, cygnus.

Nullus homo est inanimatus,
Aliquis cygnus non est homo:
Et nullus cygnus est inanimatus.

Hæc est summa omnium quæ his verbis Aristotel. significat: sed quoniâ verba aliquo modo obscura sunt, necesse est ea paulò accuratiùs explicare. Cùm ergo Aristote. ait, cũ alicui non inest medium, hoc omne & nullum sequatur primum, reddit rationem eius quod dixerat coiugationes esse inutiles vbi minor propositio est particularis priuans aut indefinita. Ac si diceret de quocunque particulari de quo medium negatiuè prædicatur, maius extremum dicitur de omni & nullo: maius enim extremum de minori prædicatur in conclusione. Rem exemplo, vt doceat, inquit, ponantur enim termini animal homo album. Hoc est sumamus tres istos terminos, quoniam verò quædam alba sunt de quibus prædicatur homo, alia de quibus non prædicatur, sumamus, inquit, loco albi, hoc est pro minori extremo ex illis albis de quibus non prædicatur homo duos istos terminos cygnus & nix. Iam tunc dabuntur termini in quibus omni, animal homo cygnus: in quibus nulli, animal, homo, nix. Quod si verùm

verum est non erit syllogismus, quando maior est vniuersalis asserens minor vniuersalis negans vt exemplo à nobis monstratũ est. Ex postremis verbis constat ab Aristotele interuallum vocari propositionem: quod nos paulò superiùs admonueramus. subiungit.

† Rursum a quidem nulli b inest.

¶ Quibus verbis monstrat innutilem esse complicationem, quando maior est vniuersalis negans, minor particularis etiam negans: dantur termini omni inesse & nulli, illos vt accipiat sumit tres istos terminos inanimatum, homo, album. Deinde ex illis albis de quibus non dicitur homo, capit niuem & cygnum, & quia inanimatum quod est maius extremum de omni niue dicitur & de nullo cygno, dãtur termini omni inesse inanimatum, homo, nix: nulli verò, inanimatum, homo cygnus. Cùm verò ait, Amplius: quoniam indefinitum est.

Ratione probat si sit minor indefinita non fieri syllogismum siue maior sit vniuersalis asserens siue negans. quia eadem est ratio particularis atq; indefiniti.

Deinde recenset Aristote. quatuor alias combinationes, atq; omnes illas prorsus particulares atque innutiles. Aut enim vtraque est particularis asserens, aut vtraque particularis negans, aut minor particularis negans, maior particularis asserens: aut contrà. Termini omni inesse communes omnium animal, album, equus.

Aliquod album est animal, vel non est animal,
Aliquis equus est album, vel non est album:
Et omnis equus est animal.

Termini communes omnium in quibus nulli, animal, album lapis.

Aliquod album est animal, vel non est animal,
Aliquis lapis est albus, vel non est albus:
Et nullus lapis est animal.

Ex his colligit Aristo. tria corellaria. Primum est.

† Manifestum est igitur ex his quæ dicta sunt, quoniam si fit syllogismus in hac figura particularis, necesse est terminos sic se habere, vt diximus, aliter enim se habentibus nullo modo fit.

¶ Hoc

‖ Hoc autem planè constat ex his quæ dicta sunt à nobis paulò superiùs. Secundum corellarium.

† Palam autem quoniam omnes, qui in hac sunt syllogismi, perfecti sunt: oēs enim perficiuntur per ea, quæ ex principio sumuntur.

‖ Hoc probat ista ratione, syllogismi perfecti sunt, qui nullius alterius indigent præter ea quæ a principio sunt posita, vt appareant necessarij, sed omnes isti syllogismi perficiuntur, vt inquit Aristote. per ea quæ a principio sumuntur, ergo omnes illi perfecti sunt. Consequentia est manifesta & maior constat ex syllogismi perfecti definitione cap. 1. minor etiam inductione constitit, cùm singulas formas syllogismorum explicaremus.

Tertium corellarium.

† Et quoniam omnia problemata ostenduntur per hanc figuram: etenim omni, & nulli, alicui, & non alicui inesse.

‖ Hoc ita probatur, quodlibet problema aut est vniuersale asserens, aut vniuersale negans, aut particulare asserens, aut negans sed in hac figura colligitur, omni, nulli, alicui, alicui non inesse, ergo colligitur omne genus problematis vnde postremo infert.

† Voco autem huiusmodi figuram primam.

‖ Hoc est optimam & præstantissimam, rationibus quas paulò superiùs reddidimus. Ex loquendi autem ratione constat nomen fuisse primū ab Aristotele excogitatum: nam inquit, voco.

Item pro alicui non, non alicui dixit Arist. more suo.

Nos hinc accipimus, in hac figura quam Aristotel. primam facit, triginta duas effici combinationes. Nam aut vtraque est vniuersalis propositio, maior videlicet atque minor, aut altera, aut neutra. Si sit vtraque vniuersalis: aut vtraq; asserit, aut negat vtraque, aut maior asserit, minor negat: aut contra, atque ita quatuor efficiuntur.

Si altera est vniuersalis, particularis altera Aut maior est vniuersalis, minor particularis, & totidem fiunt. Nam aut maior vniuersalis asserens, aut negans, minor particularis asserens, vel negans. Totidem etiam efficiuntur si maior sit particularis minor vniuersalis. Si vtraque particularis sit, aut vtraque asserit, aut negat vtraque, aut maior asserit, minor negat: aut contra, & & efficiuntur etiam quatuor, atque ex omnibus conficiuntur decem & sex.

Totidem

Totidem fiunt si indefinitum cùm particulari & vniuersali, affirmatione & negatione conferatur. Sed quoniam indefiniti & particularis (quod attinet ad syllogismum) idem prorsus iudicium est, vt Aristot. testatur, tantùm habenda ratio est decem & sex combinationum atque hoc in singulis contingit figuris, & numerus illarum complicationum simili ratione sumendus est. Sed nos istam rem copiosiùs persequuti sumus. lib. 5. summæ summularum.

Istarum combinationum quæ in prima figura efficiuntur quædam vtiles sunt, aliæ inutiles, vtiles sunt tantùm quatuor, vt licet ex sententia Aristotelis colligere. Prima est, cùm vtraque est vniuersalis asserens. Secunda, cùm maior est vniuersalis negans, minor vniuersalis asserens. Tertia, cùm maior est vniuersalis asserens, minor particularis asserens. Quarta, cùm maior est vniuersalis negans, minor particularis asserens Cæteræ omnes sunt inutiles ratione quam reddit Aristo. loco citato: atque etiam altera, quam nos reddimus lib. 5. summæ.

Cùm verò dicimus in prima figura tantum esse quatuor modos vtiles, illos intelligimus, qui rectè colligunt, hoc est maius extremum in conclusione prædicāt de minori: nam qui colligūt obliquè, hoc est prædicant minus extremum de maiori, plures adhuc sunt: de quibus loco citato plura diximus.

Modi verò quos vtiles & perfectos vocamus quibusdam dictionibus significantur: quæ vulgò artis vocabula appellantur. Hæc autē vocabula sunt, Barbara, celarent, darij, ferio. Quorū singulæ vocales singulas propositiones syllogismi significant: atq; vt illæ tres tantùm sunt, sic etiam tres vocales existunt in singulis vocabulis, quod si plures fuerint, trium priorum ratio solùm habenda est. Vocales sunt aliquæ ex his quatuor a e i o.

A significat propositionem cui accommodatur vniuersalem esse asserentem.

E vniuersalem negantem,
I particularem asserentem,
O particularem negantem.

Præter istos qui perfecti sunt & rectè colligunt, sunt etiam quinque alij imperfecti sanè, atque obliquè colligētes in prima figura: qui significantur quinque istis dictionibus, Baralipton, celantes

lantes, dabitis, ſapeſmo friſeſomorum. Sed de his omnibus longiori ſermone diximus lib. 5. ſummæ.

Argumentum cap. quinti.

IN præſenti capit. propoſitum Ariſtote. eſt explicare quid ſit ſecunda figura ſyllogiſmorum, & quot in ea efficiatur modi conſtantes atque vtiles, quos ille ab inconſtantibus atque inutilibus ea ratione dirimit: quam proximo capi. ſequutus eſt. Quamobrem non erit difficile caput iſtud interpretari, ſi proximi capitis rationem habeamus.

¶ Caput quintum.

QVando verò idem huic omni, illi verò nulli ineſt, vel vtrique omni, vel nulli, figuram quidem huiuſmodi voco ſecundam.

‖ His verbis Ariſtote diſpoſitionem ſyllogiſticam in ſecunda figura exponit. Ea eſt, cùm idem, hoc eſt medius terminus, de vtroque extremo, maiori (inquam) & minori affecto ſigno vniuerſali aſſerente aut negante dicitur. Diximus enim ſuperiùs, in ſecunda figura medium in maiori & minori propoſitione prædicari.

Sed quoniam in hac figura, quemadmodum in prima, quædam coniugationes propoſitionum vtiles efficiuntur, quædam inutiles, vtrunque genus his verbis complectitur Ariſtote. vtiles quidem, cùm inquit. Quando idem huic omni, illi verò nulli ineſt, hoc eſt, quando medium dicitur vniuersè & affirmatè de vno extremo: de altero verò vniuersè & negatè, ſiue affirmatio addatur ad minorem propoſitionem, ſiue ad maiorem, hoc enim nihil prohibet: atque idem prorſus de negatione ſentiendum eſt. Inutiles verò, cùm inquit, vel vtrique omni, vel vtrique nulli, hoc eſt, quando medium in vtraque propoſitione vniuersè, & affirmatè prædicatur, vel vniuersè & negatè: nam in ſecunda figura quando vtraque pars antecedentis aſſerit, aut negat, inutilis eſt ſyllogiſmus.

Figuram inquit Ariſto. voco ſecundam, vt innuat ſe autorem fuiſſe

fuiſſe primum huius nominis.

Definit ſtatim medium atq; extremum vtrunque, maius (inquam) & minus in hac figura: medium quidem his verbis.

† Medium autem in hac dico, quod de vtraq; prædicatur.

‖ De vtraq; inquam extremitate.

† Extremitates verò de quibus dicitur hoc.

‖ Id eſt medium, nam in ſecunda figura medium prædicatur in maiori atque minori propoſitione.

Quoniam verò hæc deſcriptio vtriuſque extremi communis eſt, ambiguitatis tollendæ cauſa, vtrique extremo addit peculiarem quandam deſcriptionem, qua a nobis cognoſci poſsit. Sed vt ſententiam Ariſtotelis faciliùs intelligamus, animaduertendum eſt, quod medium duobus modis dicitur. Primum quidem ratione copulandi, quia eius gratia iunguntur extrema in concluſione, quod ſanè pertinet ad medium cuiuſuis figuræ. Deinde medium dicitur, quod mediam prædicandi rationē ſeruat, quia partim ſubiectum eſt, partim prædicatum, hoc verò tantùm ineſt medio primæ figuræ, vt ex ſuperioribus conſtat. In ſecunda verò figura medium vocatur, q̃ eſt primū poſitione atque ſitu. Et quoniam præſtat prædicatum eſſe quam ſubiectum, cùm prædicatum ſuccipiat rationem formæ, ſubiectum materiæ rationem: in ſecunda figura medium dicitur primum poſitione aut ſitu, q̃a principē locum tenet. Eſt enim vtriuſque propoſitionis, maioris videlicet atque minoris prædicatum: & foras extremitatum eſſe dicitur, quia nunquam ſubijcitur in propoſitione more maioris atque minoris extremi. Sed quoniam maius extremum in ſecunda figura ſemel prædicatur, in concluſione videlicet, dicitur poni iuxta medium, minus extremum nunquā in hac figura prædicatur, & ob eam rem longiùs a medio poſitū eſſe dicitur. His ita explanatis extremorum & medij finitiones conſtant: ita enim ait Ariſto.

† Maiorem quidem extremitatem, quæ iuxta medium poſita eſt. Minorem verò, quæ longiùs ſita eſt a medio. Ponitur autē medium foras quidem extremitatum, primum verò poſitione.

‖ Sumit autē Ariſtoteles peculiaria elementa ad conficiendū ſyllogiſmum in ſecunda figura. Ea ſunt, m n x. X quidem vtitur pro extremo minori, n pro maiori, m pro medio. Et quidem ſi

istum situm spectare velimus, reperiemus maius extremum esse propè medium, minus procul à medio, medium foras extremitatum. Admonet tamen philosophus priusquam recenseat modos qui in hac figura efficiuntur, siue illi vtiles sint, siue inutiles, quòd in hac figura nullus fit perfectus syllogismus, cùm inquit.

† Perfectus igitur non erit syllogismus vllo modo in hac figura.

‖ Hæc sententia Aristo. ita probatur: perfectus syllogismus est qui nullius rei indiget præter ea quæ sunt posita, vt appareat necessarius, omnes syllogismi secundæ figuræ vnius aut plurium indigent, vt necessarij appareant: ergo nulli in hac figura perfecti existunt syllogismi. Consequentia euidens est, & maior propositio est Aristotelis cap. 1. huius libri, minorem inductione ostendet idem philosophus præsenti capite: omnes enim syllogismi secundæ figuræ aut ostensiuè, aut deductione ad impossibile, referuntur ad primam figuram, quod suo loco docebimus. Sed quoniam sæpe numero & præsenti & proximo capite vtraque ratione vsuri sumus operæpretium fuerit antequam alio procedamus, de hac re pauca vel leuiter attingere, cætera omnia persecuti sumus lib. 5. summæ summularũ. In primis ergo animaduertẽdum est, quòd reducere syllogismum imperfectum ad perfectum nihil aliud est, quam quibusdam acceptis, quæ necessario aduersarius debet concedere, ex syllogismo imperfecto perfectum facere, atque eo deducere aduersarium vt concedat, velit nolit, perfectum syllogismum non esse legitimum nisi syllogismus imperfectus necessario colligat conclusionem. Hoc duobus modis fit, ostensiuè (inquam) & per impossibile: vterque vero modus leuiter est nobis in præsentia attingendus: nam vberiorem de vtroq; sermonem habuimus lib. 5. summæ. Ostensiuè ergo imperfectus syllogismus ad perfectum reducitur, quando conuersa vna pluribusue propositionibus, aut premissis transpositis, ex imperfecto syllogismo perfectus efficitur. Ista vero probandi ratio ostensiua appellatur, quod admodum plana atque aperta sit, & veluti digito efficiat quod cupimus. Hac ratione deducuntur omnes modi imperfecti ad perfectos, vno excepto secundæ figuræ, cùm maior est vniuersalis, asserens minor particularis negans, qui Baroco passim vocatur. Altero etiam tertiæ figuræ,

figuræ, cùm maior est particularis negans, minor est propositio vniuersalis asserens, dicitur bocardo: sed vtriusque alio loco mẽtionem faciemus. Cõuincitur autem reductio ista ostensiua hoc modo. Quod sequitur, ex consequenti bonæ consequentiæ, sequitur ex eius antecedenti dialecticorum opinione, sed præmissæ modi perfecti inferunt suam conclusionem, & inferuntur ex præmissis modi imperfecti, ergo ex eisdem colligitur eadem cõclusio, vel altera quæ ex eadem infertur. Hinc itaque vim accipit ista forma reducendi imperfectum syllogismum ad perfectum ostensiuè: nã cõclusio syllogismi imperfecti aut eadem omnino est cùm conclusione perfecti modi ad quẽ reducitur, aut ex eadẽ infertur, præmissæ etiam modi imperfecti aut eædem prorsus sunt cùm præmissis modi perfecti, aut illas inferunt, vt planè constare possit volenti rem experiri, atq; abire per singulos modos imperfectos & illos cùm perfectis conferre. Quinam verò imperfecti syllogismi, ad quos perfectos referendi sint, explanatum à nobis est, & qua via rationeq; cap. 2. lib. 5. summæ summularum.

Alia forma reducendi imperfectum syllogismum vocatur vulgò reductio per impossibile, huius rei ratio est, quia qui negat syllogismum imperfectum efficacem esse, in eas angustias coniicitur vt fateatur, velit nolit, aliquid quod sit impossibile: nempe duo contradictoria vel contraria vera esse. Quo pacto id fiat, docet Aristote. præsenti & proximo capite. Quanquam autem ista deductione ad impossibile tantùm vtatur Aristotel. in paucis modis imperfectis, proculdubio ea ipsa accommodari facilè potest modis omnibus imperfectis, quod etiam Aristote. admonet præsenti capite. Sed quoniam cætera omnia abundè sumus persequuti loco citato hæc in præsentia dixisse sit satis. Iam ad explanandam sententiam Aristotelis sermonem referamus.

† Possibile verò erit & vniuersalibus, & non vniuersalibus existentibus terminis.

‖ In commune docet his verbis Aristotel. in secunda figura quando fiat syllogismus constans, aut vtilis dispositio. Atque ita inquit, quod fieri potest modus vtilis in hac secunda figura, aliquando terminis existentibus vniuersalibus, hoc est, quando propo-

propositiones quæ assumuntur pro antecedenti, habent subiecta distributa, vt constabit paulò inferiùs. Præterea etiam, quando propositiones habent subiecta non vniuersalia, non quod ex vtrisque particularibus quidpiam possit colligi, sed quando altera tantùm propositio, non vtraque est vniuersalis, quoniam tunc temporis fit syllogismus terminis vtrisque non existentibus vniuersalibus: hoc quando fiat docebit inferiùs.

† Vniuersalibus igitur terminis erit syllogismus, quando medium huic quidem omni, illi verò nulli inerit, & si ad vtrumuis sit priuatiuum, aliter verò nullo modo.

‖ Iam docet quando fiat vtilis coniugatio in secunda figura ex vtraque vniuersali propositione. hoc autem accidit.

† Quando medium huic quidem omni, illi verò nulli.

‖ Id est, quando medium de altero extremo distributo affirmatè, de altero verò distributo negatè prædicatur, in secunda figura optimè fit syllogismus, siue maior propositio neget, siue minor, aliter verò nullo pacto fit syllogismus: quando (inquam) vel vtraque propositio asserit, vel negat vtraque. Rationem huius rei reddet Aristote. paulò inferiùs.

† Prædicetur enim m de n quidé nullo, de x verò omni, quoniam igitur conuertitur priuatiua, nulli m inerit n, at m omni x supponebatur, quare n nulli x inerit. Hoc enim ostensum est prius.

‖ Adducit Aristot. in præsentia exemplum eius modi in quo maior propositio est vniuersalis negans, minor vniuersalis asserens: hoc pacto.

Nullum n est m,
Omne x est m,
Ergo nullum x est n.

Hic enim syllogismus rectè colligit quia cõuersa maiori propositione vniuersali priuatiua simpliciter, efficitur modus vniuersalis priuatiuus, qui est secundus in prima figura. hoc modo.

Nullum n est m,
Omne x est m,
Ergo nullum x est n.

Quod si iste syllogismus optimus est, erit quoque qui efficitur in secunda figura optimus, cùm ab isto parum differat, cõuersione

sione (inquam) maioris propositionis: aut si prior vitiosus est, posterior vitiosus erit. Ista ergo ratione ostensiua probat Arist. syllogismum secundæ figuræ esse legitimum.

† Rursum si m omni quidem n inest, x verò nulli: nequen vlli x inerit: nã si m nulli x, neq; x vlli m inerit: at verò m omni n inerat, quare x nulli n inerit. Facta est enim rursum prima figura. Quoniam autem conuertitur priuatiuum, neq; n vlli x inerit, quare erit idem syllogismus.

‖ Hoc loco tradit secundum modum secundæ figuræ, vbi ex maiori vniuersali asserente, minori vniuersali negante, conclusio vniuersalis negans colligitur. hac ratione,

Omne n est m,
Nullum x est m,
Ergo nullum x est n.

Hic enim syllogismus refertur ad secundum modum primæ figuræ, tantùm conuersa minori propositione simpliciter, & tranimutatis partibus antecedentis, vt vulgò putatur: errant tamen qui ita putant, nam ex ea dispositione non colligitur conclusio modi secundi figuræ secundæ, sed propositio quædam quæ infert per conuersionem conclusionem prioris syllogismi. hoc modo,

Nullum m est x,
Omne n est m,
Ergo nullum n est x.

Hoc enim Aristo. significat illis verbis, Quoniam autem conuertitur priuatiuum.

Diximus initio huius capitis duobus modis perfici posse imperfectos syllogismos, ostensiue (inquam) & deductione ad impossibile: hactenus docuit Aristo. quo pacto priori ratione perfici duo modi assignati possint, nunc admonet posse etiam secũdo modo absolui eosdem syllogismos: cùm inquit,

† Est autem ostendere hæc, & ad impossibile ducentes.

‖ Quasi dicat, licet etiam ostendere syllogismos istos in secunda figura rectè colligere ducendo negantes ad impossibile. quoniam verò non admodum facilè est istud præstare atque efficere rationem hoc efficiendi tacet Aristote. Hoc tamen loco vt aperiamus Aristotelis sententiam meminisse necesse est, primum

 quod

quod monstrare per impossibile est ex opposito conclusionis, contrario scilicet, aut contradictorio, & altera parte antecedentis colligere oppositum contrariæ aut contradictoriæ reliquæ partis, vnde sequitur aliquid impossibile, duo (inquam) contraria aut contradictoria vera esse.

Deinde considerandum est, quòd modi imperfecti secundæ figuræ per impossibile ducuntur ad primam seruata maiori, & opposito conclusionis collocato pro minori. Hinc sequitur quòd primus modus secūdæ figuræ cuius paulò superiùs meminimus reducitur ad quartum modum primæ figuræ, secundus verò modus secundæ figuræ ad tertium primæ figuræ refertur, vt planè constare poterit volenti rem experiri. Colligit ex his quæ dixerat. Aristo.

† Quoniam ergo fit syllogismus sic se habentibus terminis manifestum.

‖ Subiungit vt dubitationem adimat.

† Sed non perfectus.

‖ Hoc probat à definitione imperfecti syllogismi his verbis.

† Nō enim solum ex ijs, quæ ab initio sumpta sunt, sed ex alijs perficitur necessarium.

‖ Vocat autem necessarium, ipsam formam syllogismi, vnde necessariò colligitur conclusio.

† Si autem m de omni n & x prædicetur, non erit syllogismus.

‖ Hoc est, si vtraque propositio maior (inquam) & minor sit vniuersalis asserens. Hoc probat Aristo. communi ratione, quia dantur termini vt omni, & vt nulli, atque ita inquit.

† Termini inesse, substantia, animal, ratio.

‖ Ita vertit Boëthius repugnante Aristotele qui loco huius vocis ratio, vtitur, nomine, homo, hoc pacto.

Omne animal est substantia,
Omnis homo est substantia:
Et omnis homo est animal.

† Non inesse substantia, animal, lapis: medium substantia.

‖ Legit Boëthius etiam repugnante Aristote qui pro lapide numerum vsurpat: quanquam termini quibus vtitur Boëthius apertè efficiunt quod volumus: hac ratione.

Omne

Omne animal est substantia,
Omnis lapis est substantia:
Et nullus lapis est animal.

Hoc tamen loco, primū quæstio existit, cur ista coniugatio inutilis sit? Aristo. eam rationē reddit, quia dantur termini in quibus omni, & in quibus nulli, quare syllogistica nullo pacto est: nihil enim colligit definitum aut determinatū. Altera ratio est, quia huiusmodi coniugatio nulla ratione perfici potest: atqui necessariū erat, vt per primā figurā perficeretur. Antecedēs verò probatur, quia, vt diximus proximo capite, in prima figura vbi maior propositio est particularis nihil colligitur, atqui vt ista cōplicatio perficeretur oportebat vt ex secunda figura cōuersa maiori per accidens prima figura efficeretur, illa verò particularis relinqueretur si conuersio fieret: Sophistæ verò illam adducunt rationem, cur inutilis sit huiusmodi coniugatio, quia medium in vtraque parte antecedentis est indistributum, quare argumentamur ex puris particularibus ratione medij.

Sed obijciet aliquis in secunda figura ex maiori & minori propositione asserentibus vbi terminis efficiuntur paribus aut æqualibus aliquid colligitur, ergo falsum est, quod Aristote. scribit, vt cùm ita colligimus.

Omnis homo est succeptiuus disciplinæ,
Omne rationale est succeptiuum disciplinæ,
Ergo omne rationale est homo.

Diluitur ambiguitas si dicamus verùm esse quod obijcitur, sed quoniam hoc contingit ratione materiæ, non autem ratione dispositionis aut formæ syllogismi, Aristote. huiusmodi coniugationem tanquam inutilem explodit: cōtemplatur enim ille formam syllogismi non materiam.

Deinde quæstio est cur Aristo. cū assignat terminos in quibus nulli numero vtitur, & inquit substantiam prædicari de eo? si, vt constat, numerus quantitas est, non substantia. Veteres interpretes ferunt hoc loco Aristote. sequutum fuisse Pythagoræorum opinionem qui cùm omnia ex numeris efficerent etiam ad substantiam nomen numeri referebant. Verùm vt quidam volunt, atque id mihi magis probatur substantia pro essentia vsurpatur, quo sensu de animali & numero prædicatur.

† Nec quando den, nec de x nullo prædicatur m.

‖ Rectius vertes neque quando de n & x nullo prædicatur m, quibus verbis significat inutilem esse eam cõiugationem in qua vtraque propositio, maior (inquam) & minor est vniuersalis negans: ratio est, quia dantur.

† Termini inesse, linea, animal, homo.

‖ Nullum animal est linea,
Nullus homo est linea:
Omnis homo est animal.

† Non inesse, linea, animal, lapis.

‖ Nullum animal est linea,
Nullus lapis est linea:
Nullus lapis est animal.

Ex his colligitur quando vim habeat syllogismus vtraq; propositione vniuersali constans, his verbis.

† Manifestum ergo quoniam si sit syllogismus ex vniuersalibus terminis, necesse est terminos sic se habere, vt in principio diximus: aliter enim se habentibus terminis non fit conclusio necessaria.

‖ Explicatis cõiugationibus omnino vniuersalibus trãsfert sermonem Aristoteles ad syllogismos particulares: & quoniã isti sunt in duplici differentia, alij omnino particulares, alij verò partim vniuersales, partim particulares, primum exponit primum genus syllogismorum, est enim illud altero perfectius, siquidem magis accedit ad omnino vniuersale. & quia vniuersale vel ponitur ad maiorem propositionem, vel ad minorem prius explanat coniugationes illas in quibus ad maiorem ponitur vniuersale, quàm eas in quibus additur ad minorem propositionem, atque ita inquit.

† Si autem ad alterum sit vniuersaliter medium, quãdo ad maius fuerit vniuersaliter vel prædicatiuè vel priuatiuè, ad minus autem & particulariter & oppositè vniuersali (dico autem oppositè si vniuersale quidem priuatiuum, particulare autem prædicatiuum, vel si vniuersale prędicatiuum particulare priuatiuũ) necesse est syllogismum fieri priuatiuum particulariter.

‖ His verbis significantur ab Aristotele duo modi vtiles, qui colligunt conclusionem particularem priuatiuã quando (inquã) maior

maior est vniuersalis negans, minor opposita: particularis (inquã) asserens, & fit tertius modus vtilis in secunda figura: aut contra maior vniuersalis asserens, minor particularis negans, & fit quartus modus, atque is sanè vtilis, ponit Aristote. prioris modi exemplum dicens.

† Nam si m nulli quidem n, x autem alicui inest, necesse est n alicui x non inesse.

‖ Hoc modo,

Nullum n est m,
Aliquod x est m,
Ergo aliquod x non est n.

Probat autem huius modi syllogismum esse vtilem reductione ostensiua: conuersa enim maiori propositione simpliciter, efficitur quartus modus primæ figuræ: ita enim inquit Aristo.

† Quoniam enim conuertitur priuatiuum, nulli m inerit n: m verò supponebatur alicui inesse: quare n alicui eorum, quæ sunt x, non inerit: fit enim syllogismus per primam figuram.

‖ Potest etiam huiusmodi syllogismus reduci per impossibile ad secundum modum primæ figuræ, retenta maiori & oppositio cõclusionis posito pro minori. Subducit deinde exemplum quarti modi vtilis in secunda figura, cùm (inquam) maior est vniuersalis asserens, minor particularis negans: his verbis.

† Rursus si n quidẽ omni m, x verò alicui non inest, necesse est n alicui x non inesse.

‖ Omnen est m,
Aliquod x non est m,
Ergo aliquod x non est n.

Hunc autem syllogismum Aristote. non probat esse vtilem ostensiua demonstratione, quia maior conuerti non potest: est enim particularis, maior autem cùm sit vniuersalis asserens si cõuertatur efficietur particularis: atqui vbi maior propositio particularis est in prima figura nihil colligitur. Hæc est ergo causa cur ostensiuè non probatur ab Aristotele huiusmodi syllogismus: probatur tamẽ deductione ad impossibile ab eodem: cùm inquit.

† Nam si x omni inest n, prædicatur autem & m de omni n, necesse est m omni x inesse: supponebatur autem alicui non inesse

esse: & si m n quidem omni inest, x autem non omni: erit syllogismus, quoniam non omni x inest n, demonstratio autem eadem.

‖ Reducicitur autē hic syllogismus ratione eadē qua tres superiores vtiles retenta (inquam) maiori & capto opposito conclusionis pro minori. Reducitur autem ad quartum modum primę figuræ. Si enim quispiam neget legitimum esse hunc syllogismū necessariò concedet antecedens verum esse & cōsequens falsum quare consequentis oppositum siue contrarium sit siue contradictorium verum est: ex maiori ergo & opposito conclusionis conficio syllogismum in primo modo primæ figuræ, qui passim barbara vocatur, cuius conclusionem oportet esse veram, cùm euidens sit syllogismus & vtraque eius pars vera ex hypothesi, sed contradicit minori prioris syllogismi, vel est illi contraria: ergo duo contraria aut contradictoria efficiuntur vera, si quispiam neget syllogismum secundæ figuræ esse legitimum. Hæc eadem ratio accommodari cæteris potest ac debet.

Sed obijciet aliquis, ineptè facere Aristotelem qui syllogismū simplicem monstrat vtilem atq; legitimum esse, ministerio atq; ope syllogismi hipotetici, est enim syllogismus simplex apertior & planior hipotetico: atqui ex syllogismo hipotetico robur sumit deductio ad impossibile. Verùm hæc ambiguitas facilè tollitur, si negemus probari simplicem syllogismū ab Aristotele per hipoteticum. Ille verò inde vim accipit quòd duo contradictoria consequantur vera, quod est sanè impossibile: & cū sit primum principium tam apertum est vt omnium mentibus hominum natura insitum sit.

† Si autem de x quidem omni, de n verò non omni prædicatur m, non erit syllogismus. Termini inesse, animal, substantia, coruus: non inesse, animal, album, coruus.

‖ His verbis refert coniugationem quandam inutilem, quā do maior est particularis negans, minor vniuersalis asserens. verbi gratia.

Aliquod n non est m,
Omne x est m.

Dantur termini in quibus omni, animal, substantia, coruus.

Aliqua substantia non est animal,

Omnis

Omnis coruus est animal:
Et omnis coruus est substantia.

Termini in quibus nulli, animal, album, coruus.

Aliquod album non est animal,
Omnis coruus est animal:
Et nullus coruus est albus.

† Nec qū de x quidē nullo, de n verò aliquo. Termini inesse, animal, substantia, lapis: non inesse animal, substantia, scientia.

‖ Altera coniugatio etiam inutilis est, quando maior est particularis asserens, minor propositio vniuersalis negans. v.g.

Aliquod n est m,
Omne x est m.

Dantur termini in quibus omni, animal, substantia, lapis.

Aliqua substantia est animal,
Nullus lapis est animal:
Omnis lapis est substantia.

Termini in quibus nulli animal, substantia, scientia.

Aliqua substantia est animal,
Nulla scientia est animal:
Et nulla scientia est substantia.

Hinc colligit Aristoteles more suo.

† Quando igitur oppositum est vniuersale particulari, dictum est, quando erit, & quando non erit syllogismus.

‖ Subiungit statim philosophus.

† Quando autē similis figuræ fuerint propositiones, vt ambæ, priuatiuæ, vel affirmatiuæ, nullo modo erit syllogismus.

‖ Quibus verbis tangit alias quatuor prorsus inutiles coniugationes, cūm (inquā) maior & minor eiusdē figuræ sunt, sed vna est vniuersalis & altera particularis, aut enim maior vniuersalis priuatiua est, minor particularis priuatiua: aut cōtrà, maior particularis priuatiua, minor vniuersalis, aut maior vniuersalis asserēs, minor particularis: aut contra. Vt ostendat verum esse quod dixit, subiungit.

† Sint enim primùm priuatiuæ, & vniuersale ponatur ad maiorem extremitatem.

‖ Hoc est maior propositio sit vniuersalis minor particularis

† Vt m n quidem nulli x autem aliqui non insit, contingit ergo

ergo & omni,& nulli x ineſſe n. Termini quidem nulli ineſſe,nigrum,nix,animal.

¶ Diſpoſitio hoc modo fit,

Nullum n eſt m,
Aliquod x non eſt m.

Dantur termini in quibus nulli hac ratione,

Nulla nix eſt nigrum,
Aliquod animal non eſt nigrum.

Addit Ariſto.& nullum animal eſt nix.

† Omni verò ineſſe,non eſt ſumere,ſi m alicui quidem x ineſt,alicui autem non.Nam ſi omni x ineſt n,& m nulli n,etiam m nulli x inerit:ſed poſitum erat alicui ineſſe,non igitur ſic ſumere contingit terminos.Ex indefinito autem oſtendendum eſt.

¶ Itaque admonet philoſophus non licere interdum ſumere terminos in quibus omni.Quando verò non liceat ipſe nos docet,ſi enim medium puta m ſic inſit minori extremo,nempe x, vt ſit vera ſuapte natura vtraque propoſitio particularis, nempe aliquod x eſt m,& aliquod x,non eſt m,non poterunt quidem accipi termini in quibus omni.Hoc probat,Ariſtot.deductione ad incommodum:nam ſi hæc vera eſſet propoſitio omne x eſt m, in qua exiſtunt termini vt omni:bene ſequitur.

Nullum n eſt m,
Omne x eſt n,
Ergo nullum x eſt m.

In ſecundo modo primæ figuræ. Antecedens autem verum eſt,nam maior ex hypoteſi vera eſt,& minor quia conſtat terminis omni ineſſe ergo & concluſio eſt vera,quare duo cõtradictoria vera eſſent:ſiquidem eius contradictorium, aliquod x eſt m ex hipoteſi verum eſt:quare ſi particularis illa propoſitio ſuapte natura vera ſit,nõ poſſumus accipere terminos in quibus omni. Si autem particularis vera ſit,quia vniuerſalis eſt vera & non ſuapte natura, iam tunc integrum erit monſtrare quòd dentur termini in quibus omni & in quibus nulli:hoc enim eſt quod ait Ariſtote.

† Quoniam enim verum eſt m non ineſſe alicui x,& ſi nulli inest,nulli verò cùm inſit,non erit ſyllogiſmus: manifeſtum quoniam neque nunc erit.

¶ Parti

¶ Particularem propoſitionem indefinitam vocat tanquam vagæ atque incertæ ſignificationis,nam interdum vſurpatur pro particulari aſſerente interdum pro vniuerſali negante.

† Rurſum ſi prædicatiuæ,& vniuerſale ponatur ſimiliter:vt m omni quidem n,x autem alicui inſit:contingit ergo & omni,& nulli x ineſſe. Termini nulli ineſſe,album,cygnus,lapis. Omni verò non erit ſumere terminos,propter eandem cauſam quam & prius:ſed ex indefinito monſtrandum eſt.

¶ Altera inutilis coniugatio eſt quam his verbis ſignificat Ariſtot.quando maior propoſitio eſt vniuerſalis, minor particularis, ſed tamen vtraque aſſerit.v.g.

Omne n eſt m,
Aliquod x eſt m.

Hoc probat Ariſtote.communi illa ratione:dantur enim termini in quibus nulli,album,cygnus,lapis:hoc pacto.

Omnis cygnus eſt albus,
Aliquis lapis eſt albus:
Et nullus lapis eſt cygnus.

Quanquam autem liceat aſsignare terminos in quibus nulli, nullo modo licet reperire terminos in quibus omni propter illa cauſam quam ſupra reddidimus.

† Si autem vniuerſale ad minorem extremitatem eſt,& m x quidem nulli,n verò alicui non ineſt,cõtingit n & omni,& nulli x ineſſe. Termini ineſſe,album,animal,coruus:non ineſſe,album,lapis,coruus.

¶ Recenſet Ariſtote.iam eas coniugationes in quibus contingit minorem propoſitionem eſſe vniuerſalem. Illæ ſunt duæ,vna eſt cùm vtraque negat,altera verò cùm aſſerit vtraque:ſuperioribus verbis priorem narrat.Dantur termini in quibus omni, album,animal,coruus.

Aliquod animal eſt,vel non eſt album,
Nullus coruus eſt albus:
Et omnis coruus eſt animal.

Termini verò in quibus nulli,album,lapis,coruus.

Aliquis lapis eſt,vel non eſt albus,
Nullus coruus eſt albus,
Et nullus coruus eſt lapis.

Deinde

Deinde posteriorem complicationem recenset, his verbis.

† Similiter autem & si prædicatiuæ fuerint propositiones. Termini non inesse, album animal, nix: inesse, album, animal, cygnus, hoc modo.

Aliquod animal est album,
Omnis nix est alba,
Nulla nix est animal.
Aliquod animal est album,
Omnis cygnus est albus,
Omnis cygnus est animal.

Ex his colligit veluti corellarium quando fit complicatio vtilis vbi alterutra pars antecedentis vniuersalis est, particularis altera: cùm inquit.

† Manifestum est igitur quoniam si similis figuræ sint propositiones, & hæc quidem vniuersalis, illa verò particularis: quoniã nullo modo fit syllogismus.

‖ Recensuit hactenus duodecim complicationes, partim vtiles partim inutiles in secunda figura, iam enumerat quatuor alias quæ restant, atque omnes illas prorsus inutiles & omnino particulares: aut enim vtraq; est particularis asserens, aut negans vtraque, aut maior asserit, minor negat: aut contrà. Dantur termini in quibus omni, album, animal, homo.

Aliquod animal est album,
vel Aliquod animal non est album,
Aliquis homo est albus,
vel Aliquis homo non est albus:
Et omnis homo est animal.

Termini in quibus nulli album, animal inanimatũ: duæ enim priores propositiones eædem sunt, tertia verò, nullum inanimatum est animal, hoc Aristot. his verbis docet.

† Sed nec si alicui vtrique inest, vel non inest, vel huic quidem inest, illi verò non, vel neutri omni, vel indefinitæ. Termini autẽ communes omnium, album, animal, homo: album, animal, inanimatum.

‖ Neutri omni inquit Aristot. hoc est cùm m non omni n, & non omni x inest, indefinitæ, verò ait vt cùm quispiam dicit m inesse n & x, vel non inesse: cùm enim sic enunciamus propositionem

tionem reddimus indefinitam vt planè constat. Ex his quæ dixerat quædam colligit. Aristo. vnum est quando in secunda figura efficiatur syllogismus tunc enim solum efficitur, vt diximus, cũ maior est vniuersalis negans, minor vniuersalis asserens: & modus iste primus vulgò appellatur Cæsare. Aut quando maior est vniuersalis asserens, minor vniuersalis negans: & hic secũdus modus vocatur Camestres. Aut quando maior est vniuersalis negãs, minor particularis asserens, & tertius iste modus vocatur, Festino. Aut tandem cùm est maior vniuersalis asserens, minor particularis negans, & quartus iste modus dicitur Baroco. Cæteri modi inutiles prorsus sunt: istam sententiam sic explicat Aristo.

† Manifestũ est igitur ex prædictis, quoniã si sic se habent termini adinuicem, vt dictum est, syllogismus ex necessitate fit; & si fit syllogismus, necesse est terminos sic se habere.

‖ Illa enim quæ diximus, vt efficiatur syllogismus sunt necessaria, & vbi adsunt fit necessariò syllogismus. Secundò infert Aristote.

† Palàm autem, & quòd omnes imperfecti sunt, qui in hac figura sunt syllogismi.

‖ Hoc probat Aristote. à definitione imperfecti syllogismi, his verbis.

† Omnes enim perficiuntur assumptis quibusdam, quę vel in sunt terminis ex necessitate.

‖ Hoc accidit quando per conuersionem reducimus imperfectos syllogismos ad perfectos. Sumimus enim eosdem vtrobiq; terminos, ordinem tantùm inuertimus: cùm ex subiecto prædicatum efficiamus, & ex prædicato subiectum.

Subiungit rursum vt secundum modum reducendi insinuet.

† Vel ponuntur velut hipotheses, vt quando per impossibile ostendimus.

‖ Postremò infert quod in hac figura, omnes syllogismi sunt priuatiui, cùm habeant conclusionem, & alteram partem antecedentis negantem. Præterea in eadem figura quidam sunt vniuersales modi, primus inquam & secundus, alij particulares, tertius & quartus, hoc ita refert Arist.

† Et quòd non fit affirmatiuus per hanc figurã: sed omnes priuatiui, & vniuersales, & particulares. Palam inquam est.

Argumen

Argumentum cap. sexti.

IN præsenti capite Aristote. explanat tertiam figuram, atque etiam eiusdem partes, omnes recenset. Præterea modos vtiles, qui in eadem efficiuntur figura atque illos ab inutilibus separat: quod fecit cum primam atque secũdam figurã explicaret.

¶ Caput sextum de tertia figura.

SI autem eidem hoc quidem omni, illud verò nulli inest, vel ambo omni, vel nulli: figuram quidem huiusmodi voco tertiam.

‖ His verbis Aristotel. definit tertiam figuram, illa efficitur quando medium in vtraque propositione, maiore videlicet atq; minore prædicatur: neque tantùm modos quosdam his verbis tangit qui vtiles in hac figura efficiuntur, sed præterea quosdam inutiles: nihil enim prohibet inutiles modos eandem figuram obseruare cum modis vtilibus. Quæ verò causa sit, cur istam Aristote. tertiam figuram vocet, exposui quo tempore de numero figurarum, orationem habui.

Idem appellat medium, hoc atque illud, extrema, cùm finit figuram.

Huius figuræ illa potissima lex est, & sine qua constare tertia figura nullo pacto possit, vt sit minor propositio affirmatiua, siue vniuersalis sit siue particularis. Nam si neget minor propositio, tertia figura constare nullo modo potest. Ratio est, quia prima figura duabus legibus constat. Altera est, vt maior propositio sit vniuersalis, altera vt minor asserat. Sed secũda figura quæ ex maiori propositione efficitur, seruat primam legem, hoc est, vt sit maior propositio vniuersalis, ergo tertia figura quæ à minori ortum habet, debet seruare secũdam legem, id est, vt minor propositio asserat, & hæc sola lex est, satis vt in tertia figura efficiatur syllogismus. Atque hæc ratio est cur plures modi in tertia figura efficiantur vtiles, quam in vlla aliarum figurarum, paucioribus enim opus est, vt in tertia figura fiat syllogismus, quam vt fiat in quapiam alia. Definita figura medium atque extrema explanat philosophus, medium quidem hoc pacto.

† Medium autem in hac dico, de quo ambo prædicamus.

‖ Medium enim in tertia figura est subiectum, in maiori propositione & de eodem ambo extrema prędicantur, maius inquã & minus, communi etiam finitione sic definit extrema.

† Extremitates verò, quæ prædicantur.

‖ Non contentus autẽ Aristo. communi vtriusque extremi finitione propriam tradit singulorum atq; etiam extremi, maius extremum sic finit.

† Maiorem autem extremitatem, quæ longiùs est à medio.

‖ Maius ergo extremum est quod procul à medio situm est. Duplici verò nomine in tertia figura maius extremum dicitur longius positum esse à medio: tum quia medium in tertia figura nunquam est prædicatum, maius verò extremum bis prædicatur, in maiori videlicet propositione atque etiam in conclusione: quare positione & situ procul abest à medio. Minus autẽ extremum, quoniam semel tantũ prędicatur, nempe in minori propositione, dicitur propiùs situm esse.

Altera ratio est, quia si rationem elementorum quibus vtitur Arist. ad conficiendum syllogismũ in tertia figura habeamus reperiemus situ procul abesse a medio maius extremum, ipsum verò medium positione esse postremũ, minus extremum medio loco collocari. Accipit enim tres literas quas hac ratione disponit, p r s, & se consequuntur in Græco alphabeto vnde illas cœpit Arist. Nam p vtitur vt maiori extremo, r vt minori, s vt medio. Ex his constat apertè finitio minoris extremi atq; etiam medij. Sic enim ait Aristo.

† Minorem verò, quæ propiùs.

Ponitur autem medium foras quidem extremitatem: vltimũ verò positione est.

‖ Hæc vbi Arist. explicuit, quæ nam sit natura syllogismorum qui in tertia efficiuntur figura paucis docet his verbis.

† Perfectus igitur non fit syllogismus neq; in hac figura.

‖ Dixerat enim cap. proximo, in secunda figura nullũ esse perfectum syllogismum. Hanc verò sententiam rationem non probat Aristote. sed tantùm inductione atque exemplo syllogismorum qui existunt in eadem. Quanquam autem nullus in hac figura perfe

ra perfectus fiat ſyllogiſmus,efficiuntur quidem ſyllogiſmi quidã vniuerſales,alij non vniuerſales,quemadmodũ in cæteris figuris.Numerus vero modorũ qui reperiuntur in iſta figura idẽ eſt qui in cæteris,atq; eadem omnino ratione inquiritur & conſtituitur.Quoniam vero vniuerſales ſyllogiſmi particularibus præſtantiores ſunt Ariſt.primum explanat vniuerſales ſyllogiſmos, hoc eſt,qui maiori & minori propoſitione conſtant vniuerſali: deinde particulares,hoc eſt,qui vtraq; aut altera particulari propoſitione efficiuntur,atq; ita inquit.

† Poſsibilis verò erit,& vniuerſaliter,& non vniuerſaliter exiſtentibus terminis ad medium.Vniuerſaliter quidem quando & p & r omni inerunt s,quoniam alicui r inerit p ex neceſsitate: nam quoniam conuertitur prædicatiua,inerit s alicui r : quare quoniam p ineſt omni s,& s alicui r, neceſſe eſt p alicui r ineſſe:fit enim ſyllogiſmus per primam figuram.

‖ His verbis refert primã complicationẽ,aut modũ vniuerſalem vtilẽ qui in tertia figura efficitur,ille eſt cum vtraq; propoſitio,maior(inquam) & minor eſt vniuerſalis aſſerens : tunc enim colligitur particularis aſſerens,hoc pacto.

Omne s eſt p,
Omne s eſt r,
Ergo aliquod r eſt p.

Probat Ariſtote.hunc modum eſſe vtilem,quoniam conuerſa minori propoſitione in partem efficitur ſyllogiſmus in tertio modo primæ figuræ,hoc modo.

Omne s eſt p,
Aliquod r eſt s,
Ergo aliquod r eſt p. Subiungit Ariſt.

† Eſt autem & per impoſsibile,& expoſitione facere demonſtrationem.

‖ Tribus itaq; modis Ariſto. inquit perfici poſſe ſyllogiſmos qui vtiles in tertia figura efficiuntur.Primũ quidem per conuerſionem,quem modu paulò ſuperiùs explanauimus.Deinde per impoſsibile,hoc fit retenta minori propoſitione & poſito oppoſito concluſionis,pro maiori.Atque iſte modus cõmunis eſt omnium ſyllogiſmorum tertiæ figuræ,hoc pacto.

Omne s eſt p,

Omne

Omne s eſt r,
Ergo aliquod r eſt p.

Si enim ſyllogiſmus nõ rectè colligit, ſumamus oppoſitum concluſionis:nempe,nullum r eſt p,& efficitur huiuſmodi ſyllogiſmus in ſecundo modo primæ figuræ.

Nullum r eſt p,
Omne s eſt r.
Ergo nullum s eſt p.

Cõſequentia quidem legitima eſt & vtraq; pars antecedentis vera,nam maior vera eſt quia eius cõtradictorium quod priori ſyllogiſmo colligebatur falſum eſt:minor etiã ex hipotheſi eſt vera,ergo & concluſio: & cõtrariatur maiori propoſitioni quæ eſt vera ex hipotheſi,ergo duo cõtraria vera,niſi ille ſyllogiſmus rectè colligat.Hac ratione deductione ad impoſsibile monſtramus legitimum eſſe ſyllogiſmum in tertia figura.

Tertius modus eſt per expoſitionem,id eſt,per ſyllogiſmum expoſitorium,hoc eſt,argumento ſenſibili,id enim eſt expoſitorius ſyllogiſmus.Quo autem pacto id fieri debeat docet Ariſto. cum inquit.

† Si enim ambo omni s inſunt,ſi ſumatur aliquod eorũ,quæ ſunt s,vt n:huic & p & r inerunt ex neceſsitate, quare alicui r inerit p.

‖ Nam cum p & r inſint omni s,quia omne s eſt p,& omne s eſt r,p & r inerunt omni contento ſub s, ſumit ſub s n,& ita colligit.

n eſt p,
n eſt r,
Ergo aliquod r eſt p.

Iſta concluſio colligitur ex parte s, ergo & ex omni s,nam quod ex parte ſequitur proculdubio ex toto colligetur. Atque ita tribus modis(vt apparet)probatur ſyllogiſmus qui in tertia figura efficitur.Atque hic quem diximus eſt primus modus vtilis in tertia figura.

† Et ſi r omni quidẽ s,p autem nulli s ineſt,erit ſyllogiſmus: quoniã p alicui r non inerit ex neceſsitate. Nam idem modus erit demonſtrationis,conuerſa r s propoſitione,oſtendetur autem & per impoſsibile,quemadmodum in prioribus.

 ‖ Hoc

¶ Hoc loco proponit secundum modum vtilem & vniuersalem qui fit in tertia figura. Ille est, cùm maior est vniuersalis priuatiua, minor est vniuersalis asserens: nam ex vtraque colligitur particularis negans: hoc modo.

Nullum s est p,
Omne s est r,
Ergo aliquod r non est p.

Probat Aristote. efficacem esse hunc syllogismum, primum quia conuersa minori propositione efficitur quartus modus primæ figuræ.

Nullum s est p,
Aliquod r est s,
Ergo aliquod r non est p.

Deinde probat deductione ad impossibile seruata minori propositione, & maioris vice, posito opposito conclusionis vti in superiori syllogismo fecimus, atque ita reducitur hic secũdus modus tertiæ figuræ ad primum modum primæ.

Obijciet fortasse quispiam in tertia figura ex vtraq; parte antecedentis vniuersali non tantùm particularé propositioné posse colligi, sed etiam vniuersalem. Ratio est, quia propositio particularis cùm vniuersali colligit particularem, ergo cùm maior sit vis vniuersalis quam particularis duæ propositiones vniuersales vniuersalem conclusionem colligent. Diluitur quæstio si intelligamus vtranque partem antecedentis plus posse quàm alteram, non quidem ad colligendum vniuersale sed ad euidentius colligendum. Nam conclusio vniuersalis non omnino pendet ex vniuersali propositione assumpta, sed etiam aliunde.

† Si autẽ insit r, s quidẽ nulli, p verò omni s, non erit syllogismus. Termini inesse, animal, equus, homo: non inesse, animal inanimatum, homo.

¶ Iam incipit narrare inutiles modos atque vniuersales qui fiũt in tertia figura. Vnus est quem his verbis refert, quando maior est vniuersalis asserens, minor vniuersalis negans.

Omne s est p,
Nullum s est r.

Aliquis enim terminus distribuitur in conclusione qui non distribuitur in antecedenti, nempe maius extremum.

Dantur

Dantur termini in quibus omni, animal, equus, homo.

Omnis homo est animal,
Nullus homo est equus:
Nullus equus est animal.

In quibus nulli, animal, inanimatum, homo.

Omnis homo est animal,
Nullus homo est inanimatus:
Et nullum inanimatum est animal.

† Neque quando ambo de nullo s dicuntur, non erit syllogismus. Termini inesse, animal, equus, inanimatum: non inesse, homo, equus, inanimatum: medium inanimatum.

¶ Hic est secundus modus inutilis & vniuersalis, cùm in quâ vtraque pars antecedentis negat: nam ex puris negatiuis, vt dicitur, nihil colligitur. Dantur termini in quibus omni, animal, equus, inanimatum.

Nullum inanimatum est animal,
Nullum inanimatum est equus:
Et omnis equus est animal.

In quibus nulli, homo, equus, inanimatum.

Nullum inanimatum est homo,
Nullum inanimatum est equus:
Et nullus equus est homo.

Hæc vbi dixit more suo colligit quando efficiatur in tertia figura syllogismus ex vtraque parte antecedentis vniuersali, his verbis.

† Manifestum est igitur & in hac figura quando erit & quãdo non erit syllogismus ex vniuersalibus terminis. Quãdo enim ambo termini sunt prædicatiui erit syllogismus: quoniã inest alicui extremitas extremitati. Quãdo verò priuatiui, non erit syllogismus. Quãdo autẽ hic quidem priuatiuus ille verò affirmatiuus, si maior quidẽ fuerit priuatiuus, minor verò affirmatiuus, erit syllogismus: quoniam alicui non inest extremitas extremitati, si autem è conuerso, non erit.

¶ Hæc omnia aperta sunt & explanata à nobis paulò superiùs, deinde refert Aristot. modos illos in quibus altera tantùm pars antecedentis est vniuersalis, siue illa maior propositio sit, siue minor: atque ita inquit.

† Si autem hic quidem sit vniuersaliter ad medium, alter verò particulariter, si vterque sit prædicatiuus necesse est fieri syllogismum, & si alteruter sit vniuersalis terminorum.

‖ Itaq; quando altera propositio est vniuersalis, particularis altera, & vtraq; asserit, modus quidem vtilis est, siue maior sit vniuersalis, siue minor, ponit exemplum Aristo.

† Nam si r omni s insit, p verò alicui s, necesse est p alicui r inesse. Nam quoniam conuertitur affirmatiua, inerit r alicui p, quare quoniam r omni s inest, s alicui p, & r alicui p inerit: quare & p alicui r.

‖ Istud autem est exemplum eiusmodi in quo maior est particularis minor vniuersalis. v.g.

Aliquod s est p,
Omne s est r,
Ergo aliquod r est p.

Probat vtilem esse syllogismum quia per conuersionem maioris propositionis & transpositionem maioris & minoris propositionis. Rursum per conuersionem conclusionis syllogismus, in tertio modo primæ figuræ efficitur.

Omne s est r,
Aliquod p est s,
Ergo aliquod p est r.

† Rursum si r alicui s, p verò omni s insit, necesse est & p alicui r inesse. Nam idem modus demonstrationis. Est autem demonstrare per impossibile & expositione quemadmodum & in superioribus.

‖ Alius ergo modus vtilis est cùm est maior propositio vniuersalis asserens, minor particularis etiam asserens. Tunc enim particularis asserens colligitur syllogismo. v.g.

Omne s est p,
Aliquod s est r,
Ergo aliquod r est p.

Hi autē syllogismi tribus modis probari possunt inquit Arist. primū quidē couersa minori, ppositione simpliciter, hoc modo.

Omne s est p,
Aliquod r est s,
Ergo aliquod r est p.

Deinde

Deinde expositoriè si sumamus aliquid eorum quæ continē̄tur sub s, nempe m, tunc sic.

m est p,
m est r,
Ergo aliquod r est p.

Nā quod ex parte colligitur proculdubio ex toto colligetur.

Tertius modus est deductione ad impossibile, seruata vt dixi minori propositione & pro maiori accepto opposito conclusionis, superior syllogismus reducitur ad secundum modum primę figuræ, hic verò ad quartum primæ, vt planè constabit volenti rem experiri.

† Si autem vnus quidē sit prædicatiuus alter verò priuatiuus, vniuersaliter autem prædicatiuus, quando minor quidem fuerit prædicatiuus, erit syllogismus. Nam si r omni s, p verò alicui s non inest, necesse est p alicui r non inesse: si enim p omni r, & r omni s, & p omni s inerit: sed non inerat. Monstratur autem & sine deductione si sumatur aliquid eorum quæ sunt cui p non inest.

‖ Transfert Aristoteles sermonem ad explicādum hos modos cuius altera pars asserat, neget altera, rursum altera sit vniuersalis, particularis altera. Si minor quidem fuerit vniuersalis asserens, maior particularis negans, vtilis est syllogismus, quo colligitur conclusio particularis negans: hoc modo.

Aliquod s non est p,
Omne s est r,
Ergo aliquod r non est p.

Hic autē syllogismus conuersione ab Aristotele minimē probatur, nulla enim ratione per conuersionem ex isto modo tertiæ figuræ fieri potest prima figura, vt planè constare possit volenti rem considerare Maior enim propositio cùm sit particularis negans conuerti non potest, & minor vniuersalis asserens si conuertatur fit particularis: atqui ex ambabus particularibus nihil colligitur. Duobus autem alijs modis probari potest: deductione quidem ad impossibile, qua ratione diximus, fit primus modus primæ figuræ. Deinde probari potest sensibili expositione, nam si sumamus sub s aliquid, sic colligetur conclusio.

n non est p,

n est r,
Ergo r non est p.

Quòd si illa cõclusio ex parte colligitur, colligetur etiã ex toto.

† Quando verò maior fuerit prædicatiuus, non erit syllogismus, vt si p insit omni s, r autem alicui s non insit. Termini omni inesse, animatum, homo, animal: nulli verò non est sumere, si r inest alicui quidem s, alicui verò non: si enim omni s inest p, r autem alicui s, & p inerit alicui r: sed positum erat nulli r inesse. Sed quemadmodum in prioribus dicendum est, nam cùm indefinitum est alicui non inesse nulli verò cum inesset, non erat syllogismus: manifestum ergo est quod non erit syllogismus.

‖ His verbis narrat quandam complicationem inutilem ea est cum maior propositio est vniuersalis asserens, minor particularis negans. v.g.

Omne s est p,
Aliquod s non est r.

Hæc enim inutilis est cõiugatio. Probat hoc Arist. suo more: dantur enim termini in quibus omni, animatũ, homo, animal.

Omne animal est animatum,
Aliquod animal non est homo:
Et omnis homo est animatum.

Termini in quibus nulli inquit Aristote. non licet accipere: si minor propositio perinde est contingens vt ea ipsa, atque eius subcontrarium verum simul esse possit, ita vt vtraque ista propositio vera sit.

Aliquod s non est r,
Et aliquod s est r.

Hoc probat, nam si vtraque vera existat propositio & dentur termini in quibus nulli, videlicet nullum r est p, optimè sequitur nullum r est p, aliquod s est r, ergo aliquod s est p. Consequentia est legitima, quia in quarto modo primæ figuræ, nẽpe in Ferio. Maior est vera ex hipothesi, quia cõstat terminis in quibus nulli inest. Minor etiã vera est ex hipothesi, simul cũ subcontrario: ergo & cõclusio. Sed cõtradicit maiori prioris syllogismi, nempe, omne s est p. Ergo vel duo contradictoria vera, omne s est p, aliquod s non est p: vel falsa est illa propositio, quæ vera posita erat, nempe, omne s est p.

Si verò particularis illa propositio, aliquod s non est r, quæ est minor syllogismi prioris sic est vera, vt altera particularis subcon-

subcontraria vera esse non possit, sed ipsa æquiualeat vniuersali neganti, ex indefinito probatur, quod nulla sit illa coniugatio: quoniam vbi minor propositio in tertia figura est vniuersalis negans, nihil colligitur, ergo neque vbi est particularis vniuersali non absimilis: & si id fiat dantur termini in quibus nulli, animatum, lapis, animal.

Omne animal animatum,
Aliquod animal non est lapis:
Et nullus lapis est animatus.

† Si autem priuatiuus sit vniuersalis terminus, quando maior quidem priuatiuus fuerit, minor autem prædicatiuus, erit syllogismus. Si enim p nulli s, r autem alicui inest s, & p alicui r non erit. Rursum enim prima erit figura r s propositione conuersa.

‖ His verbis refert postremum modum vtilem, qui efficitur in tertia figura, ille est cùm maior propositio est vniuersalis negans, minor particularis asserens. Colligit enim particularem negantem. v.g.

Nullum s est p,
Aliquod s est r,
Ergo aliquod r est p.

Cõuersa, enim minori propositione simpliciter efficitur quartus modus primæ figuræ, hoc pacto.

Nullum s est p,
Aliquod r est s,
Ergo aliquod r non est p.

† Quando autem minor erit priuatiuus, non erit syllogismus. Termini inesse, animal, homo, ferum: non inesse, animal, scientia, ferum. medium in vtrisque ferum.

‖ Quando maior est particularis asserens, inquit Aristote. minor vniuersalis negans, inutilis est modus. Nam distribuitur maius extremum in conclusione, & non distribuitur in maiori propositione. Dantur termini in quibus omni, animal, homo, ferũ.

Aliquod ferum est animal,
Nullum ferum est homo:
Omnis homo est animal.

Termini in quibus nulli, animal, scientia ferum.

Aliquod ferum est animal,

Nullum ferum est scientia:
Et nulla scientia est animal.

† Neq; quando ambo priuatiui ponuntur, est autem vnus quidem vniuersalis, alter particularis. Termini inesse, quando minor est vniuersalis ad medium, animal, homo, ferum: non inesse animal, scientia, ferum.

‖ Hoc loco narrat quandam inutilem combinationem, cùm (inquam) vtraque propositio est negatiua, sed minor est vniuersalis. Nam ex puris negatiuis nihil colligitur. Dantur termini in quibus omni in his animal, homo, ferum.

Aliquod ferum non est animal:
Nullum ferum est homo.
Omnis homo est animal.

In quibus nulli, animal, scientia, ferum.

Aliquod ferum non est animal,
Nullum ferum est scientia,
Nulla scientia est animal.

Nomen ferum non solùm animal significat, sed etiam plantas atque arbores: est enim idem quòd sylueſtre, & mansueto aut domestico opponitur.

† Quando autem maior, non inesse quidem coruus, nix, albũ: inesse verò non est sumere, si r alicui quidem inest s, alicui autẽ non inest. Si enim p omni r insit, r autem alicui s, & p inerit alicui s: positum est autem nulli. Sed ex indefinito monstrandum est.

‖ Inutilis est etiam inquit Aristote. ille modus cuius vtraque propositio negat, sed maior est vniuersalis negans. v. g.

Nullum s est p,
Aliquod s non est r.

Ratione eadem qua superiùs paulò explicatus modus. Dantur quidem termini in quibus nulli, coruus, nix, album.

Nullum album est coruus,
Aliquod album non est nix:
Nulla nix est coruus.

Terminos autem in quibus omni non est sumere, ait Aristot. si minor propositio, aliquod s non est r, ita vera sit, vt particularis asserens ex eisdem confecta terminis vera sit. Nam duo contradictoria

tradictoria vera efficientur: si enim dantur termini vt omni, ista propositio est vera, omne r est p, & illa similiter aliquod s est r, ergo aliquod s est p, cùm consequentia sit in tertio modo primæ figuræ Sed illa erat etiam ex hipotesi vera, nullum s est p, quæ est maior modi inutilis, ergo duo contradictoria vera, Nullum s est p, aliquod s est p.

Quare debet accipi propositio particularis negans vera, cuius subcontraria vera esse non possit, aut monstrandum est ea ratione quia ex vtraque vniuersali negante nihil colligitur syllogisticè, ergo neque ex altera vniuersali, particulari altera, quæ virtute æqualis est vniuersali.

† Neque si vterque alicui medio inest, vel non inest: vel vnus quidem inest, alter verò non inest: vel hic quidem alicui, ille verò non omni: vel indefinitè. Nullo modo erit syllogismus. Termini communes omnium, animal, homo, album: animal, inanimatum album.

‖ Postremò refert Aristote. quatuor inutiles modos, qui efficiuntur quando vtraque propositio, maior inquã & minor particularis est. Nam aut vtraque asserit, aut vtraque negat, aut maior asserit, minor negat, aut maior negat, minor asserit. Quod autem dicit de particulari, est etiam intelligendũ de indefinita propositione. Nam indefinitę & particularis propositionis ad syllogismum, ratio est eadem. Dantur termini in quibus omni, animal, homo, album.

Aliquod album est animal, vel non est animal,
Aliquod album est homo, vel non est hmo:
Et omnis homo est animal.

Termini in quibus nulli, animal, inanimatum, album.

Aliquod album est animal, vel non est animal.
Aliquod album est inanimatum, vel non est inanimatum.
Et nullum inanimatum est animal.

Ex omnibus quæ dixerat colligit quædam corellaria quod fecit etiam duobus proximis capitibus. Primum est, quãdo in hac figura fit syllogismus, cùm ita inquit.

† Manifestum est igitur & in hac figura, quando erit, & quando non erit syllogismus, & quoniam habentibus se terminis, vt diximus, fit syllogismus ex necessitate, & si sit syllogismus necesse est

se est terminos sic se habere.

‖ Secundum corellarium est, quod in hac figura nullus est perfectus syllogismus, sed omnes quidem imperfecti quod his verbis significat.

† Manifestum est etiam quod omnes imperfecti sunt in hac figura syllogismi: omnes enim perficiuntur quibusdam assumptis.

‖ Tertium corellarium dicit, qualis colligatur cōclusio in tertia figura, his verbis.

† Et quod syllogissare vniuersale per hanc figuram nō erit, neque priuatiuum neq; affirmatiuum.

‖ Manifestum, inquit, est quōd in tertia figura non potest colligi propositio vniuersalis, sed particularis tantùm.

Constat ergo, ex his quæ a nobis dicta sunt ex decē & sex modis huius figuræ, sex tantùm esse vtiles qui significantur istis vocibus, Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison, qui per conuersionem ad modos primæ figuræ deducuntur, habita semper ratione consonantis initialis, & litteræ s p m vel c adiectæ ad calcem aut medium dictionis. Vnde etiam planè constat omnes modos: qui vtiles in tribus figuris efficiuntur esse quatuordecim & significari a latinis istis vocibus, quas illi artis voces nominant & versum conficiunt, licet incultum & rusticanum ac sine sensu vllo verborum, numerosen im tantum habet. Barbara, Celarem, Darij, Ferio, Cæsare, Camestres, Festino, Baroco. Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison. Cum dico quatuordecim solum numero illos qui rectè colligunt, nam qui obliquè colligant, sunt præter hos multi, potissimum verò quinque, Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.

Græci verò quatuordecim voces habent quibus quatuordecim priores modos significant & versum conficiunt, ac sensum reddunt, sunt illæ.

Grammata egrapse graphidi texnicos egrapse catexe metrion axolon apasi stenagos isachis aspidi o malos pheristos.

Atque vt hæc quoque dicamus & intelligere possimus, ad quē modum perfectum singuli imperfecti per impossibile ducantur paucis accipe. Nam plura diximus de ea re, lib. 5. summæ. Quatuor

tuor secundæ figuræ qui significantur ista dictione odiebam, singulis singulæ vocales respondent & significant cōclusionem. A vniuersalem asserentem. E negantem. I particularem asserentem O negantem. Significant ergo modum imperfectum ad illum perfectum reduci cuius conclusio est talis & tanta, qualis & quanta significatur illa vocali.

Modi verò tertiæ figuræ significantur istis duabus dictionibus Iectare Romanis. Sunt enim sex, & totidem existunt in illis duabus dictionibus vocales.

Argumentum cap. septimi.

IN præsenti capite Aristot. solùm recenset quædam quæ sunt omnium trium figurarum cōmunia quæ vel necessaria sunt, vt modus vtilis efficiatur, vel postquam iam confectus est ex ea colligatur.

¶ Caput septimum.

PAlàm autem & quod in omnibus figuris quando non fit syllogismum, cùm prædicatiui sunt vtrique termini, & particulares, nihil omnino fit necessarium.

‖ Ad calcem proximi capitis admonui esse quasdam coniugationes vtiles, alias inutiles, & quæ vtiles, quæ contra sint inutiles. Quædam enim omnino sunt inutiles nullo enim pacto ex eisdem quidpiam potest colligi. Aliæ tametsi sint inutiles aliqua ratione corrigi possunt. Vtrunque genus modorum inutilium recenset Aristote. & rationem docet corrigendi quosdam inutiles modos. Primùm verò tradit prorsus inutiles propositis verbis: sunt illi, in quibus vtraque pars antecedentis particularis est, siue asserat vtraque, siue neget. Deinde proponit modos inutiles qui aliquo pacto emendari atque corrigi possunt, & modu illos corrigendi aperit, cùm inquit.

† Cùm autem prædicatiuus & priuatiuus & vniuersaliter sumptus priuatiuus semper fit syllogismus minoris extremitatis ad maiorem, vt si a quidem omni b, vel alicui: b autem nulli c, cōuersis enim propositionibus necesse est c alicui a non inesse.

‖ His

¶ His autē verbis refert Aristote. duos modos primæ figuræ, qui cùm sint inutiles corrigi quidem possunt. Sunt illi, qui constant altera propositione asserente, altera negāte: oportet autem vt negatiua propositio vniuersalis sit, affirmatiuam verò nihil prohibet vniuersalem esse, aut particularem, modo semper isti syllogismi obliquè colligant, hoc est, minus extremū in cōclusione prædicetur de maiori. Primus ergo modus sic disponi potest.

Nullum b est a,
Omne c est b.
Ergo nullum a est c.

Conuersa enim conclusione hoc pacto nullum c est a, fit secūdus modus primæ figuræ. Vocatur autem hic modus Celantes. Secundus hac ratione.

Omne b est a,
Nullum c est b,
Ergo aliquod a non est c.

Appellatur hic modus Fapesmo. Reducitur ad Ferio conuersa maiori per accidens, minori simpliciter, & transpositis maiori atque minori hac ratione.

Nullum b est c,
Aliquod a est b,
Ergo aliquod a non est c.

Tertius modus hac ratione fit.

Aliquod b est a,
Nullum c est b,
Ergo aliquod a non est c.

Vocatur Frisesom. Reducitur etiam ad Ferio conuersis simpliciter maiori atque minori & transmutatis, hoc pacto.

Nullum b est c,
Aliquod a est b,
Ergo aliquod a non est c.

Sunt præteristos tres in prima figura duo etiam alij, vnus est cùm vtraque propositio est vniuersalis asserēs, colligit enim particularem asserentem, hac ratione.

Omne b est a,
Omne c est b,
Ergo aliquod a est c.

Cùm

Cùm enim duæ illæ propositiones colligant vniuersalē hāc, omne c est a, & hæc colligat particularem, aliquod c est a, & hæc per conuersionem colligat istam, aliquod a est b, eandem colligent duæ illæ propositiones. Nam quod sequitur ex consequenti bonæ consequentiæ sequitur ex eiusdem antecedenti. Alter modus est, cùm maior est vniuersalis asserens, minor particularis asserens: colligit enim conclusionem particularem in qua maius dicitur de minori, hoc modo.

Omne b est a,
Aliquod c est b,
Ergo aliquod a est c.

Vocatur hic modus Dabitis, absoluitur conuersa conclusione simpliciter hoc modo, ergo aliquod c est a. Istorum quinq; modorū duos tantū refert in præsentia Aristo eos, in quā qui colligunt conclusionem particularem negantem: tres vero reliquos recensuit cap. 1 lib 2. de priori resolut.

† Palam etiam quod indefinitū pro prædicatiuo particulari positum eundem facit syllogismum in omnibus figuris.

‖ Secundū corellarium tangit his verbis. Istud est, indefinitum & particulare affirmatiuum eadem habere vim, quod spectat ad conficiendum syllogismum.

Sed quæres cur nō meminerit etiā particularis propositionis negātis. Fortasse, quia sub particulari asserente cōtinetur particularis priuans, est enim asserens propositio præstantior negante, imperfectum vero sub eo quod perfectum est collocatur.

† Manifestū autem & quod omnes imperfecti syllogismi perficiūtur per primā figuram. Aut enim ostensiuè, aut per impossibile clauduntur omnes: vtroq; autem modo fit prima figura. Et ostensiuè quidē perfectis, quoniam per conuersionē clauduntur omnes, conuersio autem primam faciebat figuram. Per impossibile vero monstratis, quoniam posito falso, syllogismus fit per primam figuram, vt in postrema figura si a & b omni c insunt, quoniam a alicui b inest: nam si nulli, & b omni c, nulli c inerit a: sed inerat omni.

‖ Tertium corellariū quod etiam ex superioribus colligitur illud est quod omnes syllogismi imperfecti reducuntur ad syllogismos perfectos primæ figuræ, vno ex duobus modis, videlicet osten-

ostensiuè, aut per impossibile. Ostensiuè, quando per conuersionem vnius aut plurium propositionum, aut transmutatione maioris atque minoris. Per impossibile verò reducuntur quia concesso aliquo quod falsum est, nempe syllogismū in secunda, aut tertia figura non esse efficacem, efficitur syllogismus in prima figura, posito contrario aut contradictorio conclusionis, modò pro maiori, modò pro minori, & retenta nunc maiori propositione prioris syllogismi, nunc verò minori Exemplum adhibet Aristote. tertiæ figuræ, sed quoniam nos exempla multa tradidimus cùm duas posteriores figuras explicaremus, non opus est in præsentia de ea re dicere.

† Est etiam reducere omnes syllogismos ad vniuersales syllogismos primę figuræ. Nam qui sunt in secunda figura, manifestū quoniam per illos perficiuntur, verùm non similiter omnes: sed vniuersales quidem priuatiua conuersa, particularium autem vtraque per ad impossibile reductionem. Qui vero in prima sunt particulares, perficiuntur quidem per se. Est autem & per secundam figuram ostendere ad impossibile ducentes: vt si a omni b, & b alicui c, quoniam a alicui c inerit. Si enim nulli, b autem omni, nulli c inerit b. Hoc enim scimus per secundam figuram. Similiter autem & in priuatiuo erit demonstratio: si enim a nulli b, & b alicui c inest, a alicui c non inerit: nam si a omni c, b autem nulli inest: nulli c inerit b. Hæc autem fuit media figura: quare quoniam qui in media sunt syllogismi, omnes reducuntur in primæ figuræ vniuersales syllogismos: qui vero particulares sunt in prima, ad eos qui sunt in media: manifestum est, quod & particulares reducentur ad eos, qui in prima figura sunt, vniuersales syllogismos: qui vero sunt in tertia, cùm vniuersales sint quidem termini, statim perficiuntur per illos syllogismos. Si autē particulares, sumuntur per particulares syllogismos primæ figuræ, sed hi reducti sunt ad illos: quare & tertiæ figurę particulares. Manifestum ergo quod omnes reducentur in primæ figuræ vniuersales syllogismos.

‖ Hoc est vltimum corellarium, in quo nobis Arist. significat omnes modos reduci posse ad duos vniuersales primæ figuræ. Hoc facit eo consilio vt doceat qui modi maximè perfecti sint, atq; accommodati maximè demōstrationibus cōficiendis. Huiusmodi

iusmodi sunt Barbara & Celarent. Ad quos tanquam ad perfectissimos referuntur. Hanc ipsam sententiam argumēto probat Aristoteles quod ita explicatur. Aut modi sunt primæ figuræ, aut secundæ aut tertiæ: modi secundæ figuræ ad vniuersales modos primæ reducūtur, sed diuersa ratione, nam duo vniuersales: Cæsare, Camestres per conuersionē conficiunt modū secundum primæ figuræ. Duo alij, Festino, Baroco, per impossibile, Festino quidem ad Cælarent: hoc enim indicat vocalis e huius dictionis odiebam, qua significatur tertius modus. Secundæ figuræ Baroco ad Barbara quod significat vocalis a. Modi particulares primæ figuræ cùm per se, hoc est suapte natura perfecti sint. Siquidem nullius alterius indigent vt appareat necessario colligere, non reducuntur ad modos imperfectos secūdæ figurę, vt perficiantur, sed vt pereosdem reducantur ad modos vniuersales primæ figuræ. Ergo Darij & Ferio reducuntur per impossibile ad secundam figuram Darij ad Camestres: hoc modo.

Omne b est a,
Aliquod c est b,
Ergo aliquod c est a.

Rursum. Nullum c est a,
Omne b est a,
Ergo nullum b est c.

Ferio vero reducitur per impossibile ad Cæsare, hac ratione.

Nullum b est a,
Aliquod c est b,
Ergo aliquod c non est a.

Fit secunda figura hoc modo.

Nullum b est a,
Omne c est a,
Ergo nullum c est b.

Sed isti modi per conuersionem reducuntur ad modū vniuersalem primæ figuræ, ergo & particulares primæ figuræ modi possunt etiam per se hoc, est sine secunda figura ex modis particularibus primæ fieri modi vniuersales. v.g.

Omne b est a,
Aliquod c est b,
Ergo aliquod c est a.

Reducun-

Reducuntur ad Cæsarem sumpto oppositio conclusionis & conuerso, hoc modo.

Nullum a est c,
Omne b est a,
Ergo nullum b est c.

Vltimus modus reducitur ad Celarem conuersa maiori & capto opposito conclusionis. v.g.

Nullum b est a,
Aliquod c est b,
Ergo aliquod c non est a.

Ita enim fit secundus modus primæ figuræ.

Nullum a est b.
Omne c est a,
Ergo nullum c est b.

Et fortasse hæc causa est cur Aristote dixit modos particulares primæ figuræ perfici per se, quasi dicat referri ad vniuersales absq; vllo mediæ figuræ præsidio. Modi verò tertiæ figuræ aut reducuntur proximè & absque medio aliquo ad vniuersales primæ, aut ad particulares, si ad vniuersales, nulla alia re opus est: si verò ad particulares, cùm hi, vt ostensum est, reducantur ad vniuersales: illi etiam ad vniuersales referentur. Verum est ergo quod Aristo. inquit omnes modos posse reduci ad duos vniuersales primæ figuræ. Postremò velut epilogo colligit Arist. sufficienter disputatum esse de syllogismis qui constant propositionibus inexistentibus aut de inesse, & quibus monstramus quidpiã inesse aut non inesse, cùm inquit.

† Igitur syllogismi inesse vel non inesse ostendentes, dictũ est quomodo se habent & ad eos qui in eadem sunt figura, & adinuicem, & ad eos qui ex alijs sunt figuris.

‖ De syllogismis verò qui colligũt contingens aut necessariũ alio tempore Deo duce dicemus quo tempore (inquam) commentaria in reliqua capita fecerimus. Nam in præsentia non est animus plura dicere, neque enim id licet per occupationes. Hæc verò illa tantum gratia a nobis scripta sunt vt quibusdam placeremus, atque etiam vt hæc schola haberet aliquid quod de hac ipsa re legeret, accuratius fortasse scriptum quam quod est hactenus amplexa: culpa potius quorundam alienæ felicitati, atque gloriæ

riæ inuidentium quam temporum. Hæc si intellexerimus probari vulgo animum sumemus ad ea scribendum quæ his nostris commentarijs desunt, interim æqui atque boni hæc consulat lector.

FINIS.

MARTINI TORRE COLLEGAE Trilinguis de laudibus præceptoris sui lyricum carmen.

Sicut antiquæ sophiæ magister,
Cui dedit sacras Academus vmbras,
Primus incultas decorauit amplis
Vocibus artes:
Non secus musis Latijs honorat
Gaspar ornatu, phalerisque linguæ,
Quicquid a Graijs varios in vsus
Fontibus hausit.
Non enim vires minùs hic remittit,
Quam Plato grandes numeros loquendi:
Nec madent huius minùs vberanti
Flumine ripæ.
Nanque dicendi veneres secutus,
Vrget, impellit, remoratur, instat:
Et Periclæo quatit, atque versat
Fulmine mentes.
Mulcet, & fessos animos relaxat,
Qualis argutis peramænus vndis
Inter vmbrosos nemorum recessus
Labitur amnis.
Hinc fit errorum nebula remota,
Primus vt nobis aditus recludat,
Quos ad hæc clausos tenuère fœdæ
Tempora sordes.

Dum

Dum viam munit facilem iuuentæ,
Quam gradu post hac queat ire tuto:
Et iubet falsos auidis sophistas
Vrere flammis.
Ergo Cardillum redimite musæ,
Voscꝫ odoratis Dryades capillis
Huic serenatam viridante frontem
Cingite lauro.
Phœbus hunc plectro resonans eburno
Tollat ignitos super orbis axes,
Qui sophistarum salebras Iberis
Pellit ab oris.

COMPLVTI,
Ex officina Sebastiani Martinez.
1562.